
ARVARD
IVERSITY
BRARY

DE
TIB. SILII ITALICI PUNICIS ET ITALICI ILIADE LATINA QUAESTIONES GRAMMATICAE ET METRICAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PAULUS VERRES,

RHENANUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXVIII.

PETRO LANGENO

IOANNI MATTHIAE STAHLIO

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

S.

Iliadis Homericae epitome Latine conscripta cui tribuenda esset, per longum temporis spatium viri docti multum disceptaverunt atque in diversissimas sententias abierunt, quas omnes enumerare, cum iam pridem refutatae[1]) sint neque cuiquam hodie probentur, inutile est. Primus autem, ut in multis aliis rebus ita in hoc opusculo, Lachmannus[2]) noster verioris perspicientiae aditum patefecit, eo quod e carmine ipso quo tempore sit compositum eruit. Indicavit enim vv. 899—902, 236, 483, quibus apparet epitomen conscriptam esse ante mortem Tiberii, ut Lachmannus statuit, vel potius ante exstinctam gentem Iuliam i. e. ante annum 68 p. Chr. n.

Quantopere autem ei in errore versati sint, qui scriptori cuidam medii quod vocamus aevi Iliadem vindicaverunt, vel maxime — id quod iam Luc. Muellerum[3]) attulisse video — colligi potest e scientia illa carminis Homerici haud exigua, qua inde ab exeunte antiquitate usque ad aetatem renascentium ut aiunt litterarum nemo ornatus fuit.

Sed cum Lachmannus de tempore optime disputavisset, verum quoque scriptoris nomen — ineptum illud „Pindarus Thebanus“ communi consensu respuebatur — septem fere lustris post detectum est. Seyffertus[4]) enim in primis octo versibus Iliadis *ἀκροστίχιον* invenit, quo teste nomen scriptoris est „Italicus“. Tum Fr. Buecheler[5]) alterum repperit *ἀκροστίχιον* in fine carminis collocatum, quo verbum ‚scripsit‘ designatur. Iam antea M. Hertzius in recensendo Munkii et Seyfferti libro[6]) suspicatus erat, quoniam

[1]) Cfr. Luc. Mueller, Ueber den Auszug aus der Ilias des sogenannten Pindarus Thebanus. Berlin 1857. — Fr. Plessis, Italici Ilias Latina. Paris 1885. pag. VII. sqq.

[2]) Cfr. Kleine Schriften. II. 161. [3]) ll. pag. 11.

[4]) Vid. Munk-Seyffert, Historia litt. Rom. vol. ²II. pag. 242.

[5]) Mus. Rhen. XXV. p. 391.

[6]) Zeitschrift f. d. Gymn.-Wesen. XXXI. pag. 572.

codices exhibent „Italices“, ἀκροστίχιον septem tantum versibus contineri, ut carmen Italico cuidam dedicatum esset. Atque Hertzio quidem hoc condonemus, quandoquidem alterum ἀκροστίχιον nondum in promptu erat; quomodo autem accidere potuerit, ut Teuffel[1]) in hac opinatione commoratus sit atque etiam transmutatis in versu 9 duobus vocabulis tertium ἀκροστίχιον versibus 8—11 efficere voluerit: „Italice Sili“, non assequor. Cur enim in fine parastichis posita est? Quo referendum est ‚scripsit‘. — Hunc igitur conatum merito relinquemus.

Itaque cum dubitari nequeat quin tandem tot saeculis interiectis nomen poetae iterum in lucem editum sit, quemadmodum manus ipsius scriptoris librariorum incuria obscurata sit restituenda, varie tentatum est. Recens autem novis sententiis propositis, quid equidem de emendatione locorum illorum sentiam, non tacebo.

Ac primum quidem prorsus cum Teuffelio consentio minime Baehrensio obtemperandum esse, qui v. 7 pro ‚ex quo‘ in contextum verborum recepit ‚ut primum‘. Nam praeterquam quod hoc probare vetamur versu illo Homeri (Il. I. 6), qui certe Italico obversatus est, parum est verisimile vocabula ‚ex quo‘ alicui visa esse interpretatione egere; quin etiam ‚ut‘ coniunctione recte explicari non possunt. Si vero propter exemplar Homericum omnino ‚ex quo‘ servandum est, scilicet corruptela in nullo verbo latere potest nisi in ‚pertulerant‘. In coniciendo autem eorum tantum verborum ratio habenda est, quorum prima littera sit V. Neque magna nobis datur optio: exceptis verbis ‚versandi‘ et ‚volvendi‘, quae proposuerunt Doeringius[2]) et Ludovicus Havetus[3]), vix aliud aptum invenias. Doeringius igitur scribere voluit: Versarant ex quo . . . . ., simul afferens v. 813: „Proeliaque horrendi sub imagine versat Achillis.“ Sed hoc loco verbis ‚proelia versandi‘ subiecta est vis pugnandi; atqui Achilles et Agamemnon manus nondum conseruerant. Quamquam concedendum est ‚proelia versare‘ etiam idem valere posse ac ‚proelia volvere‘ i. e. animo agitare, quod Lud. Havetus proposuit. Sed utcumque res se habet, ‚volvere‘ magis mihi placet, ut non cuncter cum Haveto scribere: „Volverunt ex quo discordi pectore“ —

[1]) Röm. Lit.-Gesch. ed. IV. pag. 698.
[2]) Rob. Doering, Ueber den Homerus Latinus. Progr. Strafsburg 1884.
[3]) cfr. Plessis l. l. pag. V. sq.

pugnas. Nam quid sit, cur pugnas mutemus in ,turbas', non video: neque enim quod in Ermenrici epistula ad Grimoldum [1]) missa legitur ,turmas', hoc videtur tanti esse, ut neglecta omnium codicum auctoritate traditam lectionem derelinquamus. Praeterea ,volvere pugnas' proxime accedit ad notionem vocis Homericae: *διαστήτην*.

Sed quis tandem fuit ille Italicus? — Freti parastichide Seyffertus et Buecheler ausi sunt epitomen Tib. Silio Italico Punicorum scriptori tribuere, idque haud inepte, cum temporum ratione, quod iam Plessisius observavit, quominus illis viris doctis assentiamur, minime impediamur. Quamquam autem haec coniectura multum habet quo commendetur, quo facilius specie veritatis movemur, eo consideratius nos in hac controversia omne cautionis genus adhibere necesse est.

Neque defuere, qui Iliadem a Silio abiudicaverint, imprimis Baehrensius et Plessisius, ille, quamquam falso quidem veritatem ex epigrammate quodam Martialis [2]) collegit, hic distinctis sane argumentis non allatis; nihilo minus ego horum virorum sententiam probandam esse iudico propter discrepantias in elocutione et re metrica utriusque carminis sitas.

Opinionis Seyfferti et Buecheleri acerrimus nuper exstitit defensor Doeringius, quem modo commemoravi, qui Silium eundem esse atque Iliadis scriptorem quoquo modo confirmare studuit, sed ad quaestionem profligandam meo iudicio nihil attulit. In libello suo praecipue in eam disputavit sententiam, ut statueret, quibus locis Italicus ab Homerica narratione discreparet. Atque ne Silium quidem primarium suum auctorem, Livium, accurate secutum esse, cum iam ab aliis indicatum sit, hac ex re indicium sumpsit quo nisus disceptationem ad finem sibi videbatur perduxisse. Revera autem ex lata illa atque verbosa disputatione lucramur nihil. Nam in demonstrando Iliadis Homericae et Latinae discrimine exsistit quaestio subdifficilis, utrum Italicus Homeri poema ipsum excerpserit, an argumentum aliunde sumpserit; quam autem rationem ingressus sit, adhuc nondum in aperto est. Silius autem non semper vestigia auctoris sui tenuit, quia poema componere intendit, non res gestas memoriae prodere; quamobrem cum multa in scriptis Livianis ei occurrerent, quae ad id, quod carmine efficere voluit,

---

[1]) Ed. Duemmler. Halis Saxonum 1873. pag. 10. [2]) Epigr. VII. 63.

non quadrarent, ea aut mutavit aut omisit. Nonnumquam sane vix intellegi potest, cur in quibusdam rebus a Livio discesserit. Multas insuper causas Doeringius addidit leves,[1]) ut opinio mea

[1]) Sed liceat mihi statim in annotatione nonnulla „argumenta" Doeringii afferre, nam refutare vix dici potest. — Pag. 11. postquam de inaequali tractatione materiae pauca verba fecit, annotat haec: „Ein eigenthümlicher Zufall ist es, wenn es ein solcher ist, dafs auch in den Punica von Buch 12 die Behandlung des Stoffes sehr ungleich wird, und vollends in Buch 17 der Verfasser sichtlich zum Schlusse eilt." — Nil dicam aliud esse mille versus ex aliorum scriptis conscribere, aliud suis viribus septemdecim libros componere; nil dicam Silium ingravescente senectute coactum esse infinitam atque immensam materiem angustioribus finibus circumscribere carmenque tandem ad exitum adducere: nimirum e Doeringii sententia proprium Silii erat principio voluptatem ex aliqua re capere, postea autem imminuto studio coeptum opus approperare. — Ceterum praeterquam quod primi tres anni belli uberrimam materiam praebuerunt, aptum est Statii Thebaidem cum Punicis comparare, quo in carmine decem primi libri explentur orationibus, descriptionibus, *ἐπεισοδίοις,* apparatu belli, duobus ultimis bellum ipsum, de quo agendum erat, enarratur. —

Pag. 9. Doeringius in eo ‚argumentum' cerni vult quod in utroque carmine Musae identidem invocantur — singularis videlicet res, quam apud alios frustra quaeras! Ibidem invenies argumentum eiusdem ponderis, quod in Iliade gens Julia celebratur, in Punicis gens Flavia — scilicet alii poetae imperatores non adulati sunt!

Pag. 28. quod quaerit Doeringius: „Ist es ein Zufall, dafs Silius der Bestattung des Hector eingehend gedenkt und dieselbe auf jede Art ausschmückt, oder dürfen wir vermuthen, dafs es eine Ehrfurchtsbezeugung war, die er den Manen seines Lieblingshelden darbrachte, jenes Hectors, der als der gröfste Held Trojas, des alten Vaterlandes der gens Julia und der Römer, neben Aeneas an erster Stelle geehrt wurde?" — atque quod dicit etiam in Punicis laudes ducum Romanorum, imprimis Scipionis, praedicari, contra ut in illa minus laudari Achillem, ita in his Hannibalem, bono animo ei concedamus hoc in utroque carmine ratione ac consilio factum esse: cui, quaeso, qui sano iudicio utitur, talibus — paene dixi — nugis persuadebitur?

Denique, cum Buecheler (Mus. Rhen. XXXV. 391.) recte ostenderit Silium Italicum a disciplina Stoicorum fuisse, statim etiam Doeringius (p. 10) indicia palam fecit in Iliade Latina, quibus scriptorem eius huic sectae studuisse doceamur, vv. 77, 92, 25. Mihi tamen hi versus potius redolere videntur molestam atque putidam doctrinam ludi magistri cuiusdam, qui ad praecipiendi rationem delapsus est, optimeque quadrare ad opinionem Plessisii (p. XVI.), cui Italicus videtur grammaticus fuisse. (‚Tenuis' vita v. 525 dictum est ex mera imitatione Vergilii, Aen. VI. 292. Georg. IV. 223.) — Haec omnia argumenta ille tam gravia putavit, ut ea in dissertatione sua (pag. 1.) strictim repeteret. Alia similia postea commemorabuntur.

fert, atque infirmas; quod non temere aut iniuste me contendisse procedente disputatione iam apparebit.

Denuo Doeringius sententiam suam defendere conatus est altera commentatione,[1]) qua utriusque carminis rem metricam et genus dicendi comparavit. Ac de priore parte conferantur ea, quae ipse de hac re in altera parte commentationis meae erui, ubi accuratius, ut spes me tenet, de re metrica disputavi; de posteriore, quam maioris momenti esse Doeringius arbitratur, quid existimem, iam statim iuvat exponere.

Postquam in programmate suo haud paucos locos collegit, quibus et in Iliade et in Punicis eaedem vel similes sententiae simili modo exprimuntur, inceptum in dissertatione continuavit simulque alios insigniores poetas in quaestionem vocavit. Atque quam crebrae inter omnes sint similitudines, ut planum faceret, enixe operam dedit et multum — prompto libentique animo hoc largior — „ad poeseos epicae Romanae historiam locupletandam“ contulit, tamen nihil ad id, quod cadit in controversiam, diiudicandum. Nam ipsa illa locutionum enumeratione luculente contra se ipsum dixit ac vim argumenti sui infirmavit imminuitque, quoniam docuit easdem loquendi formulas, quae apud Silium et Iliadis scriptorem occurrunt, ceteris quoque poetis valde in deliciis fuisse. Plurimis igitur testimoniis eximiam atque verissimam disputationem Baehrensii[2]) comprobavit, qui de imitationis studio apud poetas Latinos obvio acutum et sanum fecit iudicium. Summa autem argumentationis Doeringii est haec: si ceterorum poetarum carmina comparaveris et exempla computaveris, quae apud Statium vel Varium Flaccum vel alium simulque apud Iliadis scriptorem occurrunt, hic numerus multo minor erit quam numerus eorum locorum, qui et in Punicis et in Iliade insunt. Itaque cum haec poemata maxime similibus inter se locis referta sint, ob hanc causam unum eundemque poetam ea composuisse pro certo sumi potest.

Equidem vellem eas versuum partes, quas quisque poeta communes habet cum scriptore Iliadis, uno numero comprehendisset: non multum differentiae inter hunc alterumve et Silium Italicum futurum esse persuasum habeo; certe de clausulis hexametrorum,

---

[1]) De Silii Italici epitomes re metrica et genere dicendi. Diss. inaug. Argentorati 1886.

[2]) in edit. Val. Flacci, pag. V. sqq.

quae gravissimae sunt omnium locutionum, quam temere Doeringius [1]) disputaverit ut cognoscatur, ea respicias, quae in altera parte de eis in medium protuli.

Sed licet omnium maximus inter Silium et Iliadis scriptorem consensus intercedat, quae est causa huius rei? Manifesto ea, quod uterque plus solito ex eisdem poetis quasi ex fonte ea quae apta erant arcessivit; nam ut quisque scriptor ingeniosissimus est, ita maxime sua ipsius confisus indole alienis bonis gloriari desistit. Sunt autem ii, de quibus sermo est, satis mediocris ingenii atque omnium quos Doeringius inspexit sine dubio maxime ingenii expertes. Itaque cum Iliadis scriptor neminem fere imitatus esset nisi Vergilium et Ovidium, de quibus omnes poetae posteriores exemplum ceperunt, factum est ut tot exstent similitudines cum in universa poesi epica Romanorum tum apud Iliadis scriptorem et Silium, simiam, ut quibusdam eum nominare libet, Vergilii. Quamobrem hoc argumentum admodum in dubio relinqui nemo negabit.

Quae cum ita sint, ut rei propositae lumen adhibeamus, nihil restat, nisi ut propriam utriusque scriptoris consuetudinem loquendi explicemus et hanc viam ingressi conemur, si forte e tali investigatione aliquem fructum percipere possimus. Tum autem diversitas rei metricae tanta est, ut solam ob eam causam epitomen a Silio abiudicandam esse putem.

Equidem Eduardo Woelfflino prorsus adstipulor, qui olim in simili quaestione [2]) praefatus est haec: „Wie ein Gemälde seinen Meister verräth, oder mindestens die Schule, der es entstammt ist, so mufs auch die Sprache und der Vers als ein Erzeugnifs der Kunst den Urheber der Poesie und die Zeit der Entstehung erkennen lassen . . . . (es) tragen geistreiche wie geistlose Schriftsteller in Vorzügen und Schwächen ein so charakteristisches Gepräge, dafs der Forscher seinen Mann unter hunderten wiedererkennt. . . . Man ist oft versucht, wissenschaftliche Untersuchungen nur mit den auf der Oberfläche liegenden Mitteln in Angriff zu nehmen, und mufs dann, wenn dieselben unzureichend sind, mit problematischen Resultaten sich zufrieden geben, wogegen die mikroskopisch-statistische Untersuchung Gewifsheit und aufserdem noch werthvolle Bereicherungen zu bieten im Stande wäre.“

---

[1]) Progr. pag. 39. et 44. [2]) Mus. Rhen. tom. XXIX. pag. 282.

Priusquam autem rem ipsam aggrediar, non supervacaneum duco pauca verba praemunire de consilio quo commentatio mea conscripta est, quae verba ad priorem eius partem spectant. Nam cum permultas res grammaticas plus minusve usitatas allaturus sim, vereor ne quis mihi obiciat, ut verbo Horatiano utar, me mea vineta caedere, qui contra Doeringium dicam nihil effici posse ex verbis illis phrasibusque utrique scriptori communibus, quoniam talia apud omnes poetas epicos legantur, ipse autem res grammaticas proferam, quae omnium poetarum, quin etiam ex parte omnium qui Latina lingua loquuntur scriptorum sermone tritae sint. — Attamen in legibus grammaticis aliter res se habet: in multis poetas de quibus ambigitur consentire consentaneum est. Primum autem, singula persecuti, apud Silium in proprietates sermonis haud paucas incurremus, quae in Iliade frustra requiruntur, tum in conformationibus verborum et sententiarum quamvis pervulgatis saepe aliquantum differentiae in utroque carmine inesse videbimus, cum in eadem re maiorem sibi alter altero concesserit licentiam. Velut, si de accusativo qui vocatur Graeco referam, hoc non ita intellegi volo, quasi hic usus Silio peculiaris sit; sed tamen ex eo quoque aliquo modo perspicere licet diversam esse utriusque scriptoris naturam.

Iam vero ego non is sum qui, si quando in hoc carmine verbum quoddam occurrat quod in illo desideretur vel constructio, verissimum argumentum me invenisse clamitem quo adversariorum opinio refutetur. Sed quid effecisse mihi videar in fine quaestionum grammaticarum aperiam.

Denique adicio in priore parte disponenda me ducem habuisse Draegeri librum qui inscribitur: Historische Syntax der lateinischen Sprache. Ed. II. Lipsiae 1878. Rem tamen ita institui, ut nonnulla, quae ad id quo intendebam illustrandum minoris momenti erant, aut omnino omitterem aut carptim perstringerem. — In afferendis versibus Punicorum secutus sum editionem Rupertii, Gottingae 1794—97, in laudandis versibus Iliadis Latinae editionem Baehrensii, Poet. Lat. Min. Vol. III. Lipsiae 1881.

A. Quaestiones grammaticae.

De partibus orationis.

I. De substantivis.

De substantivis concretis vel numero singulari collectivo adhibitis vel plurali, cum nostra lingua utamur singulari, vix habeo quod dicam. Nam quamquam et Silius et Iliadis scriptor hunc usum dicendi vel saepissime secuti sunt, tamen hac ex re nihil concludi potest neque ad eorum quibuscum consentio opinionem confirmandam neque ad sententiam adversariorum improbandam. — Idem fere mihi dicendum est de substantivis abstractis numero plurali positis.

Contra non inutile est, ut elocutionem Silii liberiorem adumbremus, copiosius agere de substantivis abstractis vice concretorum fungentibus, quae in carmine Siliano satis crebrae sunt,

1) numero singulari adhibitis: e. g. I. 26. vetustas = homines vetusti. I. 453. caedes = occisi. I. 479. belli mora = qui bellum moratur. II. 438. venatus = venatores. II. 483. X. 571. honor = verba honorifica. II. 641. senecta = mater senex, et saepius pro: homo senex. II. 682. funus = corpora mortua. III. 87. partus = puer. III. 288. Gaetulia = Gaetuli. III. 321. naufragium = naves naufragae. III. 630. aevum = posteri. III. 493. obtutus = oculi. IV. 190. furor Celticus = Celtae furentes. IV. 528. furor irae Tyriae = Hannibal iratus ac furens. IV. 799. indoles = puer bonae indolis. XV. 648. poena = homo punitus. XV. 456. senecta Pylia = senex Pylius. III. 626. V. 582. senecta patria = pater senex. VI. 32. mors = cadaver. VI. 476. captivum senium. VII. 94. summum decus = dictator. VIII. 113. amor = amica. IX. 226. imperium = imperator. XI. 176. terror = hostis terrificus. XII. 571. obsidio = milites urbem obsidentes. XIII. 890.

regnum = rex. XIII. 870. mors = mortui. XIV. 216. ars = artificium. XIV. 338. calliditas Graia = callidus homo Graecus. XIV. 653. hic sancta vetustas Artificum manibus (scil. est.) = hic sunt opera artis vetustae. XV. 667. senium = caput canum. — Etiam saepius Silius pro concretis abstracta in appositione usurpavit, velut XVII. 112. coniunx, tertius ignis. — decus XVII. 197. XV. 359. 547. 453. XII. 175. XI. 158. 308. 603 etc. etc. XVI. 622. Hannibal, lues. XVI. 655. Scipio, futilis aetas Imbellesque anni. XV. 340. Marcellus, Carthaginis horror. XV. 183. Scipio, salus genitoris. XIII. 369. Taurea, atrox virtus = vir atrocis virtutis. XII. 404. Ennius, labes = hostis gravis. XII. 63. Gracchus, tutela. XI. 541. elephantus, terror. X. 48., VII. 1. Metellus Fabius, spes unica. etc.

Ac ne in Iliade quidem exempla rara sunt; sed multum abest, ut cum Silianis audacia comparari possint. Exstant haec: 320. flamma = iuvenis amatus. 333. o meus ardor = o mea amica. — iuventus 542. 770., pubes 684. 704. 789. 837. 905. 1030. = iuvenes; quae verba etiam in prosa oratione ita leguntur. 692. ignis = amica. 902. origo = auctor. — Alterius generis exempla sunt haec: 180. gloria Myrmidonum; 234. Paris, belli causa, patriae ruina; 253. exitium Troiae funestaque flamma; 258. patriae infamia. 273. Hector, patriae decus (cfr. 661.); 486. spes Phrygum; 794. Danaum metus; 529. patriae columen. 585. Achilles, Troum terror.

2) Tum haud raro Silius pro concretis abstracta numero plurali adhibuit: e. g. I. 421 Spartani latratus = Spartani canes. I. 610. nomina parta triumphis = (patres) triumphis clara. IV. 351. 422. 449. 527. 735. 794. 820. et saep. caedes. IV. 815. (filius) spes meae. V. 196. conducta bella = mercennarii. VII. 581. tremuere irae = tremuit iratus (Hannibal). IX. 369. mortes = vel vulnera vel tela. X. 642. servitia = servi. XIII. 728. redeuntia regna = reges redeuntes; cfr. XVI. 534. — XV. 500 animae venales = mercennarii. XVII. 79. coniugia = uxor. XVII. 425. periuria Graia = perfidae Graiorum catervae. etc.

In Iliade haec exempla inveni: 63. 70. 318. amores; 72. ignes; 91. 338. flammae = amica; 331. fletus = lacrimae.

II. De adiectivis.

1) De adiectivorum neutris loco substantivorum positis haec fere afferenda sunt:

a. Neutra numero plurali adhibita:

α. Nominativi et accusativi: I. 97., II. 355., IV. 8. inania. I. 559. 632. extrema. II. 276 meliora. II. 461. suprema. II. 606. condita. II. 620. ultima. II. 638. cuncta. III. 46. mira. III. 390., V. 264. rapta = rapinae. IV. 203. non exaudita. IV. 490. languentia. IV. 601. insueta. V. 392. densissima = densissimos hostium globos. VI. 119. inclinata. VIII. 228. oblata sc. bona. X. 497. interrita. XI. 57. impetrata. XIV. 108. nota. — Sed iam piget huius usus plura exempla annotare, quorum omnes Silii libri pleni sunt.

β. Genitivus: VIII. 76. pavor adversorum. — Dativi: IX. 553. vetitis. XVII. 141. laetis. — Ablativi: I. 533. duris. II. 473. insolitis. II. 481. arcanis. IV. 8. auditis. VI. 45. in artis. VII. 98. secundis; cfr. XII. 83. XVII. 192. — VIII. 239. peractis. XII. 106. adversis. XIV. 559. acerbis. XV. 597. secretis = solitudine. XI. 558. vanis etc. etc.

γ. Multo rariora sunt eiusmodi neutra cum attributis coniuncta, ut XIII. 35. antiqua memorata. XIII. 92. avia longinqua; cfr. VII. 438. XII. 352. IV. 304. . . . IV. 751. inter tanta inhospita. III. 532. plana repetita oculis.

b. Sequitur, ut afferam adiectivorum neutra numero singulari usurpata:

α. De nominativis et accusativis cfr. pag. 11 et 26; praecipue tamen mentione est dignus accusativus: VII. 232. praeceps (praepositione non addita) = vorago; nominativus: XIII. 526. vastum inane.

β. Genetivi: I. 57. aequi. XI. 162. 206. recti. II. 510. futuri. XII. 325. duri. VII. 282. lati profundi; cfr. VII. 378. III. 46. X. 590. — Ablativi: II. 502. rapto = rapina. III. 635. praerupto. IX. 271. XI. 41. medio. XV, 591. obscuro. V. 58. nitido sereno; cfr. XII. 4. — XII. 355. XIV. 16. profundo.

γ. Neutra a praepositionibus pendentia: e. g. II. 465. X. 206. XV. 785. per longum. IV. 248. in tenui. VI. 248. X. 151. XIII. 649. per inane. VIII. 217. ex inconsulto senatus = ex temeritate.

VIII. 508. in obscuro. IX. 456 in obliquum. X. 353. per tacitum. XI. 445. in immensum. XIII. 336. in praeruptum. etc. etc.

In Iliade omnino unum vidi exemplum: 166. per singula.

2) Iam mihi disputandum est de nonnullis locis ubi adverbia permutata sunt adiectivis. Meo iure omittam ea adiectiva, quae ex communi poetarum more adverbiorum vice fungantur, ut: audax, immitis, segnis, adversus, praeceps, velox, inscius, demens, pernix, celer, lentus, multa similia. Maiore cum audacia Silius haec admisit: I. 46. similis . . . Trebia . . . fluat = similiter. I. 107. gens . . . alumnos . . . non aequa premit = inique. II. 480. secretaque pectora tentat = secreto. II. 235. stat primam urbem invadere = primum; cfr. X. 579. XV. 731. — III. 409. longaque umbram tellure trahebat = longe. IV. 305. dum tacitas vires . . . colligit ignis = tacite. IV. 452. iaculis propioribus instat = propius. IV. 768. urna reducebat miserandos annua casus = quotannis. VII. 87. venerantur . . . primam Dionen = praecipue. VII. 554. aeterno sub pectore serva = in aeternum. X. 146. Vesulum ense metit rapido = raptim; cfr. X. 470. rapta certamina. XI. 407. Lyaeo Imbellem donare diem = otiose. XIV. 538. ignavum traxit super aequora remum = ignaviter. XV. 293. Ille et nocturnis conterruit Oricon armis = noctu. XVI. 402. laevos . . . appetit conatus = a laeva parte. XVI. 403. dexter = a dextera parte. XVII. 42. graviora per auras . . . sonuerunt tympana = gravius. — et alia.

Deinde Silius — id quod non minus poetarum proprium est — solet neutra vel numeri singularis vel pluralis loco adverbiorum verbis adiungere: e. g. XV. 452. vix credenda furentem. XIII. 375. torvum et furiale renidens. XVII. 313. vana luctari. XVII. 256. immite sibilare. XIII. 347. dulce sonare. XII. 684. tremendum increpare. I. 460. letiferum nutare. XVII. 454. magnum niti. etc. etc.

Contra Iliadis scriptor hoc liberiore usu prorsus abstinuit atque ea tantum adiectiva pro adverbis posuit, quae modo dixi usitatiora esse; e. g. 11. infestus; 20. miserabilis; 312. ardens; 375. resupinus; 413. celer; 422. atrox; 575. acer; 752. acrior; 896. fervens, et similia.

3) Adiectiva a nominibus propriis aliisque substantivis derivata Silius saepe usurpavit, cum nostra lingua genitivo substantivi utamur.

E. g. I. 91. ensis Phrygius = Aeneae. II. 237. ara Herculea; cfr. III. 436. IV. 4. 72. XVII. 638. XVI. 149. XV. 505. 643. XI. 136. VI. 453. 636. etc. XIII. 803. Peleia facta. XIII. 816. Evandria mater. XIII. 888. orae Prusiacae. XIV. 41. poena Daedalea. XIV. 49. dextera Saturnia. XI. 308. nex Sidonia = Hannibalis. X. 370. Junonia iussa. X. 170. stagna Aufida. VII. 98. spes Sidoniae = Carthaginiensium. etc. — I. 542. ara virginea = virginis i. e. Vestae. I. 19. mentes superae = deorum. II. 528. furor virgineus = Fidei. II. 672. ira regia = regis. III. 22. gressus feminei = feminarum. IV. 592. lymphae fluviales. XVI. 42. herbida pondera = p. herbarum i. e. caespes. XIV. 321. malus navalis = navis. XIII. 121. adtactus erilis. XI. 488. nauticus clamor. IX. 231. latus flumineum. X. 224. ictus barbaricus = barbari cuiusdam. VIII. 497. dens vipereus. VII. 188. succus pampineus. VII. 186. sedulitas senilis. XIV. 105. caedes feminea = feminarum. etc.

Iliadis exempla multo rariora sunt haec: 27. Phoebeia templa; 905. sanguis Hectoreus; 1045. corpus Hectoreum. Praeterea Iliadis scriptor identidem ita adhibuit adiectiva haec: patrius, paternus, maternus, fraternus, quae ut satis nota apud Silium silentio praeterii.

III. De verbis.

In usu verborum Silius satis liber fuit.

1) Ac primum quidem sibi sumpsit saepissime, ut verba simplicia adhibeat, cum composita vel usitatiora vel necessaria sint. Neque tamen dico de simplicibus qualia sunt: linquere, flammare, iungere, quatere, sed haec respicias: I. 302. esse = abesse. I. 475. II. 477. teneo = retineo, I. 640. = detineo. I. 280. pono = impono. II. 359. aggerare = exaggerare. III. 55. trahere = retrahere. III. 654. tendere = extendere. IV. 569. cedere = succedere. IV. 590. luctari = obluctari. V. 191. VI. 323. IX. 326. pendeo = impendeo. I. 534. V. 534. pensare = compensare. VI. 452. lustrare = illustrare. VI. 474. tendere = protendere. VI. 572. fundi = circumfundi. VII. 174. XVII. 72. capere = accipere vel recipere. VII. 332. nectere = adnectere. VIII. 340. IX. 314. ducere = educere. IX. 226. positum = praepositum. IX. 52. 120. fluere = effluere. X. 283. XI. 402. pugnare = repugnare. XIV. 104. iurati = coniurati. XVI. 531. cernere =

decernere. XVII. 82. stare = constare. XVII. 85. niti = obniti. XVII. 392. levare = elevare. IV. 267. ponere = proponere etc. etc.

Sed cum his quae facile augeri possunt exemplis comparemus nonnulla Iliadis, quae paulo insigniora sunt: 152. dixerat = praedixerat. 615. integrat = redintegrat. 26. haeret = inhaeret. 918. rumpit = perrumpit. 933. tenuere = retinuere. — Reliqua quae exstant minime singularia sunt: 291. figere = transfigere. 343. servare = observare. 561. ponere = deponere. . . . .

2) Contra Silius ne id quidem veritus est saepe verba composita eis locis recipere, quibus simplicia requirimus: e. g. I. 71. VIII. 548. IX. 207. X. 307. XIII. 34. 489. XVI. 633. addere = dare. I. 153. subfigere. I. 181. reposcere. I. 236. referre. II. 48. 341. evincere. II. 190. perlibrare. II. 497. succedere. II. 43. 552. personare. II. 523. attentare. III. 196. XVI. 267. congeminare. III. 380. 686. perstare. III. 449. proscindere. III. 639. approperare; cfr. VI. 206. — IV. 140. elanguescere. IV. 237. XIII. 602. residere. IV. 687. inarescere. IV. 777. suspirare. VI. 588. expendere. VII. 19. emeritus = meritus. VIII. 530. comprimere. IX. 182. redire. IX. 646. inflectere. X. 531. accidere = caedere. XI. 200. eluere. XI. 416. desudare. XI. 518. XIII. 68. intremere. XII. 303. corrumpere. XII. 381. inhorrescere. XIII. 188. superesse. XIII. 686. includere. XIII. 704. advenerari. XIII. 706. epotare. XIII. 834. adducere. XIV. 334. confundere. XIV. 134. succidere. XIV. 359. addubitare. XVI. 587. cohaerere. XVII. 27. contingere. XVII. 88. integere. XVII. 640. subigere. etc. etc.

Haec exempla e multis electa sufficiant, ut doceam, quantopere Silius in usu verborum consuetudinem poetarum magis solutam secutus sit; nunc transeamus ad epitomen, cuius e verbis quae collegi nulla hoc loco annoto nisi paulo insolentius adhibita quae sunt paucissima. Praecipue Iliadis scriptor videtur amasse verba „de“ praepositione composita, quorum pars sane non praeter consuetudinem ponitur; cfr. 290. devitare. 260. 930. defugere. 316. 1001. deferre. 417. deripere. 476. 480. deicere. 628. deauratus. 832. denudare. 844. 1003. 1004. deflere. 381. transit. 927. adauget. 937. praemetuit.

3) Verba intransitiva cum obiecto coniuncta imprimis sunt haec: I. 293. magnanimis regnata viris . . . Ardea; cfr. V. 7. VII.

693. VIII. 529. —´ II. 357. desperare vias. II. 281. mortem licet arma propinquent. II. 626. insibilat ore tumores. II. 631. exundat fumum piceus caligine vertex. III. 531. exsudatosque labores Respexisse libet. III. 348. gaudentem plaudere caetras. VI. 363. plaudat .... caerula tonsis. VI. 234. (serpens) ... nutat utroque caput. VII. 431. num migrantur Rhoeteia regna in Libyam superis? XII. 264. sitiens gravis hasta cruorem. IV. 433. multoque labore Cyclopum Sudatum thoraca capit; cfr. III. 92. — XIII. 569. iurari dignata palus. XV. 82. Quid suspiratos magno in certamine nautis Ledaeos referam fratres? XVII. 133. spirantibus ignem naribus. XVII. 397. spirantes proelia. XVII. 201. Haec ubi detonuit. XVII. 337. certatus nobis orbis. V. 392. ruens densissima....

4) Ex verbis transitivis intransitive positis haec sunt maxime mentione digna: I. 647. vestras effringet in urbes (cfr. Apul. de mund. 11.) II. 463. Est furtim lento misere durantia tabo Viscera. VIII. 430. Perstrepit et tellus et Amazonius Thermodon. IV. 669. ingravat ad coelum sublatis Scipio palmis.

In Iliade desunt loci eis similes quos §. 3 et 4 attuli.

De enuntiato simplici.

I. De constructione ad sensum sive κατὰ σύνεσιν.

Constructiones κατὰ σύνεσιν Silius maxime ita admisit, ut verbum praedicati numero plurali positum ad nomen collectivum singulari usurpatum referret. Cfr. III. 635. prona minaci Praerupto turbant et cautibus obvia rupes. III. 287. Vos quoque in castra... itis, ... Gaetulia. III. 293. doctus virgae sonipes in castra ruebant. IV. 18. pars arcu invigilant, domitat pars verbere anhelum Cornipedem; cfr. V. 495. VIII. 421. IX. 301. XV. 133. XVII. 583. — IV. 32. Sic vulgus traduntque metus; cfr. VI. 563. — XI. 395. agite, o mea turba,... adeste; cfr. X. 593. XVI. 463. — VII. 416. perculsa metu Nereia pubes Attonitae ... refluunt; cfr. VI. 351. IX. 621. X. 599. V. 211. poenas petunt accensa iuventus. VII. 58. grex ... cecidere. V. 217. Libys incumbunt; cfr. XVI. 106. — XIII. 308. stabant innixi exercitus omnis. XVI. 644. senior manus fremebant; cfr. XI. 190.

Alias structuras habes has: X. 305. iacet altum pectus et ingens Dextera, quem ... aequares. XV. 500. Venales animae, Rhodani qui gurgite gaudent. XV. 566. duri bello gens Marrucina. XVII. 631. clari genus Phoenissa iuventus. II. 689. Late fusa iacent pecudes.

In epitome talis constructio nulla invenitur.

II. De ellipsi verbi.

De ellipsi verbi haec fere annotanda sunt. Omissum est:

1) verbum substantivum; a) indicativus α) in exclamationibus et interrogationibus, velut ‚est‘ II. 228. 506. III. 172. IV. 407. V. 100. 478. VI. 386. 410. 422. 580. VII. 34. 306. 396. 405. 427. 738. VIII. 34. 40. 224. 332. IX. 160. 375. 376. 566. etc. etc. ‚sunt‘ X. 280. 288. XI. 76. 253. 355. XII. 501. XIII. 136. etc. β) post coniunctiones: e. g. ‚est‘ post „ut“ I. 78. II. 12. 375. VIII. 622. — postquam I. 456. VI. 364. IX. 80. — dum II. 287. — quamquam VI. 377. — cum III. 81. — quoniam VII. 533. — si III. 114. IV. 470. VI. 570. — ubi VI. 34. — ‚Sunt‘ deest e. g. post „ut“ coniunctionem XII. 575. — postquam X. 309. XII. 158. 507. XIII. 111. 343. XV. 263. XVII. 182. — dum XI. 166. — ubi XVI. 393. γ) in sedata oratione ‚est‘ omissum est: I. 7. 19. 25. 156. 196. 218. 225. 228. 237. 295. 354. 435. 582. 591. 663. II. 36. 320. III. 6. 17. 23. 26. 28. 95. 132. 218. 280. 290. 291. 301. 328. 331. 335. 341. 349. 352. 356. 364. 382. 460. 504. 582. 590. IV. 633. 797. 804. V. 407. 410. 443. VI. 48. 270. 354. 399. 492. 556. 592. 593. 609. 616. VII. 66. 151. 160. 173. 209. 218. 239. 253. 264. 473. 540. 555. 648. VIII. 62. 418. 494. 513. 559. 651. IX. 8. 78. 312. 398. 591. 602. 611. etc. etc. etc. Deest ‚sunt‘ X. 391. 396. 446. 487. 561. 623. XI. 287. 360. 382. 532. XII. 12. 23. 31. 306. 375. 397. 468. XIII. 661. 764. XV. 133. 437. 442. 629. 759. XVI. 437. 544. 546. XVII. 141. 619. etc. etc.

Imperfectum subaudiendum est e. g. his locis: ‚erat‘ I. 149. 150. 160. 440. 680. II. 153. III. 234. IV. 92. 100. 110. 193. 764. 806. V. 137. 176. 270. etc. etc., ‚erant‘ VIII. 532. X. 511. XI. 513. XIII. 122. 196. XV. 457. XVI. 350 etc. etc.

Satis habeo hos locos attulisse, ut demonstrem Silium huic generi ellipsis terminos nullos posuisse; permagnum enim quem congessi numerum totum ascribere nil attinet.

Passim alia quoque tempora intellegenda sunt: ‚fuit‘ V. 544. XI. 16. XIII. 500. XVII. 220. — ‚fuerunt‘ VII. 57. — ‚fuerat‘ IV. 705. VI. 75. — ‚sum‘ XI. 85. 177. 561. XV. 205. — ‚es‘ V. 649. — ‚estis‘ XVI. 77. XVII. 28. — ‚erunt‘ VII. 478. — ‚fui‘ XVII. 225.

b) Coniunctivus, ut omnino apud scriptores Latinos, ita in Punicis multa rarius requiritur. Sunt tamen nonnulli loci, ubi desideratur ‚sit‘: III. 95. VII. 397. 426. VIII. 313. X. 546. XIII. 378. 798. — ‚esset‘ I. 655. VII. 23. XVI. 110. VIII. 109. — ‚essent‘ VII. 148. XI. 470. XV. 457. — ‚fuerit‘ X. 409. — ‚fuisset‘ I. 395.

c) Saepenumero infinitivus praesentis simul audiendus est, ut VII. 57. 220. 504. XI. 31. 56. 80. 559. XII. 79. 338. 453. 490. 520. 556. 628. 667. 669. 730. 734. XIII. 44. 45. 88. 323. 505. 805. XV. 14. 16. 461. 519. 585. 761. 820. etc. etc., rarissime alii infinitivi, ut ‚fuisse‘ IV. 288., ‚fore‘ V. 404.

2) De aliis verbis omissis pauca commemoranda sunt. Nil enim dicam de verbis dicendi, quae ex more omnium poetarum cogitatione addenda sunt, e. g. sic vulgus scil. fremuit vel simile verbum. Haec tamen videntur notabiliora esse: IV. 175. Cryxus Picentem Laurumque scil. occidit. V. 157. haec sibi quisque scil. referat (cfr. v. 154). V. 475. Quid vobis scil. accidit? V. 611. Cum subitus per saxa fragor scil. ivit. V. 22. Hinc dotale lacus nomen scil. accepit. IX. 549. Nec longe cladis metae scil. absunt. X. 102. cum subitus galeae fulgor scil. apparuit. X. 395. Clamor saepe repens scil. oritur. XI. 394. nullus nostro de vulnere sanguis scil. manat. XII. 496. Sic igitur secum scil. meditatur (cfr. v. 493). XIV. 648. Quid .... sacros iuvenum certamine lucos? scil. memorem. XIV. 668. (Scipio) postquam ... ab alto Aggere despexit ... urbem inque suo positum nutu scil. vidit, stent moenia .... an nullos .... videat lux .... muros. XV. 399. Talia in Ausonia scil. geruntur. XVI. 85. in dextra cetera nobis Nota scil. sita vel posita sunt. XVI. 227. epulis postquam finis scil. impositus est. XVI. 459. Hanc primus galeam scil. habebat (Hasdrubal). XVII. 119. nec plura sinebat Atropos scil. loqui. I. 1. Ordior arma scil. canere. I. 682. (Fabius) prima super tantis rebus pensanda scil. esse censebat.

Nihil huiusmodi apud Iliadis scriptorem, cuius sermo non multum abest a prosa oratione, reperiri quid mirum? sed ne verbum substantivum quidem omissum est excepto v. 138, ubi ‚esse‘ prorsus solito more deest.

III. De usu temporum.

In usu temporum Silium nequaquam praecepta grammatica severe observasse ex his intellegi potest exemplis.

Positum est **1)** tempus praesens:

a) pro imperfecto e. g.: I. 692. Lectique senatu (sunt), qui ductorem adeant. IV. 91. explorare ... campis, quae sit natura, parabat. **b)** pro perfecto: II. 142. abreptoque avide, quo concidis, Icare, saxo .... se iacit. III. 34. leonis Ora Cleonaei patulo caelantur hiatu. III. 227. non ulla nec umquam saevior it .... tempestas .... Nec bellum .... acrius infremuit trepidumque exterruit orbem. XV. 172. tu letum evadere nobis Das prior, et servas nondum servatus ab hoste. **c)** pro plusquamperfecto: IV. 185. Si dent fata moras aut servent foedera Poeni. XIII. 823. Non datur .... hanc laudem retinere diu.

2) Positum est imperfectum pro plusquamperfecto: V. 298. haud umquam valuisset tollere saxum, Ni vires trux ira daret. VI. 658. bella suadebat Regulus ..., bella neganda, viro si noscere fata daretur. IX. 15. Nec ... Narro ... compesceret arma, Ni sors ... arbitrium pugnae .... dedisset. IX. 416. acies repararet ...., ni .... Poenus Agmina frenasset. X. 305. Iacet dextera, quem, soli si bella agitanda darentur, Aequares forsan Fabio. X. 657. post te cui vertere mores Si stabat fatis, potius, Carthago, maneres. XIII. 254. Et ni .... terras nox conderet ...., ... patuissent portae. XV. 342. nomina belli Rapturus, si quis paullum deus adderet aevo. XVI. 109. Nec finem daret ille dies ..., ni ... perlapsa (scil. esset) ... arundo et ... violasset ... corpus.

3) Positum est perfectum pro praesenti: III. 30. Sed nulla effigies simulacrave nota Deorum .... locum implevere. III. 301. Marmaridae, medicum vulgus ...., Ad quorum cantus serpens oblita (scil. est) veneni, ... iacuere cerastae. I. 510. Cerne ..., an nostris longe Tirynthius ausis .... affuerit. VII. 100. vincendi sola videtur, quod nondum steterint acies, mora. VII. 570 sqq. (Boreas et Africus) obnixi cum bella furentia torquent, Distraxere fretum ac diversa ad litora volvunt Aequor.

4) Positum est plusquamperfectum **a)** pro imperfecto: I. 576 sqq. Pellebat somnos Tithoni roscida coniux, Ac .... sonipes .... Afflarat montes roseasque movebat habenas. **b)** pro perfecto: I. 133. iacet

, . . . , tertia qui tulerat sublimis opima Tonanti. VI. 29. postquam subsidere fata Viderat.

5) ‚foret' positum est pro ‚esset' e. g. I. 340. 546. V. 564. VI. 422. VIII. 251. IX. 3. XV. 732. XVI. 51. etc., pro ‚fuisset' XII. 261. XV. 732.

6) Tempora, quibus pro cónatu actus exprimitur, haec in Punicis insunt: I. 385. Certe Capitolia primus Scandebas Victor. IV. 151. in titulos Capitolia capta trahebat. I. 514. Dexter ades Phrygiae delenti stirpis alumnos. V. 75. Heu vani monitus frustraque morantia Parcas Prodigia! X. 408. Paulli . . . . Fata gemunt . . . ., ut . . . . diem hunc totis nequidquam averterit urbi. XI. 551. en dextera quam tu Aeneadis lacerare dabas. IX. 656. Plura indignantem . . . . hostes Egere. XII. 300. sese furata iuventus. XIII. 523. Non optanda recludis regna. XIII. 728. (Horatius Cocles) exclusit redeuntia regna i. e. Tarquinios. XVI. 183. (Hasdrubal) ad Tyrios Massylia signa trahebat.

7) Aliquanto fusius mihi agendum est de usu infinitivi, cuius Silius, prout metri ratio postulabat, omnia tempora promiscue usurpavit. — De usu infinitivi iam egit Julius Schinkel,[1]) neque tamen, ut statim apparebit, tanta cum diligentia, ut mea quaestio supervacanea sit. Nam etsi sibi proposuerat, omnia exempla huc pertinentia afferre, nihilominus permagnus numerus locorum eum effugit. — Ac primum de infinitivo historico referens annotavit haec exempla: I. 242. 262. IV. 111. V. 101. VI. 335. 462. VII. 369. VIII. 18. IX. 4. XI. 109. XIV. 89. 596. XV. 579. 719. XVI. 340. XVII. 251., non vidit hos locos: IV. 300. Ductore amisso pedibus se credere Celtae. VIII. 577. nunc sese ostendere miles Leucosiae e scopulis, nunc quem Picentia Paesto Misit.

Multo vero neglegentior fuit Schinkelius in laudandis eis exemplis, quibus usus infinitivi ἀορίστως ut vulgi dicunt positi apud Silium illustratur; amplius enim quartam partem omisit. Sunt hi loci: I. 325. Spicula quae patrio gaudens acuisse veneno Fundit. I. 333. Sed dignam Ausonia mortem putat esse Sagunto Servata cecidisse fide. III. 304. contenti parca durasse hastilia flamma. III. 237. ars erat in pugna fusum occuluisse cruorem. III. 341. His pugna cecidisse decus. V. 76. fatis Superi certasse minores. V. 114. Servilius arma Adiungat, nisi diviso vicisse triumpho Ut nequeam.

---

[1]) Quaestiones Silianae. Diss. inaug. Lipsiae [1883].

VI. 236. nunc vasto pondere gaudet Elisisse premens. VI. 374. Et certare malis ... putabat ... nec tam fugisse ... adversa quam perdomuisse ... VI. 488. Sed mihi sit Stygios ante intravisse penates Talia quam videam. VII. 227. taedetque ... Nullum clade nova ... Insignem fecisse locum. VII. 396. aegris Nil movisse salus rebus. VII. 620. vel morte emisse volebant Spectari Fabio. IX. 424. aequari potuisti ... Paullo, Si tibi non ... esset ademptum Hannibalis cecidisse manu. IX. 431. mutasse piget maiore sub hoste Proelia. XI. 73. Torquatus avum fronte aequavisse severa Nobilis. XI. 213. Componimur eheu Vecordi Decio mecum certasse volenti. XI. 248. nam sic Hannibalem decet intravisse. XI. 251. nec enim te ... sit fas caesis placasse iuvencis. XI. 528. non plus optasse liberet Quam tum concessit dexter Deus. XII. 311. Haud tanta cessisse viros in tempore tali Laudis sorte piget. XIII. 319. ne templa sub uno In cinerem traxisse rogo (velint). XIII. 369. nec enim occuluisse probarim Spectatum vel in hoste decus. XIII. 744. Decimum modo coeperat annum Excessisse puer. XV. 105. Nec bona censendum, quae fors infida dedisse Atque eadem rapuisse valet. XVII. 209. non auras poscit amicas Contentus caruisse Noto. — Iniuria, ut hoc quasi praeteriens dicam, Schinkelius affert: XV. 551. audendum est, quod depulso ... hoste Victores fecisse tremant; nam hoc loco ‚fecisse' veram habet perfecti significationem. — Praeter haec Schinkelius ipse septuaginta fere exempla collegit, quae ad maiorem perspicientiam consuetudinis huius Silianae conferas velim.

Iam vero Silius nonnumquam — id quod ne tetigit quidem Schinkelius — infinitivum praesentis posuit, cum exspectemus perfecti. Cfr. VIII. 499. Aeeten prolem Anguitiam mala gramina primam Monstravisse ferunt tactuque domare venena Et lunam excussisse polo. XV. 710. Occubuit ... Et sero ingemuit stabulis exire paternis. XVII. 583. pars ferro occumbere credunt (Hannibalem), Pars damnasse aciem, et Superis cessisse sinistris. — Item infinitivus praesentis saepius adhibitus est, ubi leges grammaticae infinitivum futuri postulant: II. 351. ac flammis urere gentem Iurabat Phrygiam. VIII. 94. sperat responsa remitti. VIII. 261. lingua sperabat adire Ad dextrae decus. IX. 475. Nec speret (Pallas) fixas Parcarum vertere leges. X. 20. cum capream venator agit fessamque propinquo Insequitur cursu et sperat iam tangere dextra.

Omnia, quae ad hoc caput spectant, quae memorabilia ex Iliade peti possunt, sunt haec: 228 sqq. cassis ... tegebat ... caput, munibat pectora thorax, dextram decoraverat hasta Ornabatque latus mucro. 311. foret = fuisset.

IV. De casibus.

1. De accusativo.

a) De usu accusativi verbis intransitivis subiuncti iam rettuli pag. 13. Possum sane addere permulta exempla accusativi a verbis affectus pendentis, ut a verbis lugendi, horrendi, dolendi, stupendi, reformidandi, maerendi etc.; haec tamen constructio, quae ne in Iliade quidem deest, tam pervulgata est, ut exempla annotare supersedeam.

b) Accusativi limitationis vel relationis, quem vulgo dicunt Graecum, uberrima in Punicis copia exemplorum praesto est, e quibus haec elegi:

α) Accusativus pendet a verbis mediis vel passivis: — V. 140. loricam induitur; cfr. IV. 223. VIII. 134. XVI. 240. — V. 15. exutus pudorem. V. 367. adstrictus amictus. IX. 296. cincta latus ferro Saturnia Iuno; cfr. XIII. 366. — XV. 284. circumdata corpus amictu. XVII. 632. incocti corpora Mauri. I. 403. frontem Chremes intonsam umbrante capillo Saeptus. II. 77. religata crinem. I. 517. perfunditur arma cruore. V. 221. sparsus comam. V. 540. femur Fontanus, Buta canorum Transfixi guttur. VI. 79. labsantes fultum truncata cuspide gressus. VII. 293. taurino membra iacebat Effultus tergo. XIII. 629. partum exsolvor. XV. 667. obtectus senium. X. 454. confossus pectora telis. V. 491. mentem nimio mutata pavore. VIII. 73. defixam oculos. VIII. 267. adustus corpora Maurus. V. 54. excussus... mentem. V. 587. percussus pectora luctu. XII. 573. satiatus pectora. II. 529. irā turbata gradum. III. 557. mentem labefacta timore etc. etc.

β) Frequentissima sunt adiectiva huic accusativo subiuncta: e. g. II. 79. nuda latus. II. 557. clara genus. III. 42. frontem minor. IV. 535. orbus partem visus. IX. 221. immanior artus. XV. 31. celsa humeros etc. etc. Sed iam dixerit quispiam me

nimium fuisse in re notissima; tamen non veritus sum ita videri, dummodo significem, quantopere hic accusativus Silio in deliciis fuerit; etenim plus centum quinquaginta exempla coacervavi.

In Iliade non habes nisi haec tria exempla participii passivi: 13. tempora vitta Implicitus. 478. traiectus pectora telo. 1068. lauro redimita capillos. — Sunt tamen hae clausulae versuum inter locutiones maxime decantatas, quae ut ita dicam ad usum poeticum pertinent; studium autem huius accusativi, quod Silius prae se fert, vel ex eo cognosci potest quod in magno numero verborum, quibus casus ille subiungi solet, quae Draeger[1]) in diversa genera distinxit, pauca in Punicis desiderantur, nonnulla autem Draegeri collectioni addenda sunt.

c) Verba, quorum principalis significatio est intransitiva, saepe praepositionibus composita praeter consuetudinem prosae orationis vim transitivam assumpserunt: e. g. IX. 624. atque assidet arces. XII. 453. assessos Capuae muros. IV. 364. innare Eurotam. XII. 487. insidit Tifata. V. 3. silvarum anfractus insederat. VIII. 249. oblatratque senatum. XIV. 454. atque exire procellas. XIV. 493. quamquam nondum excessisset ephebos. XV. 375. Forsan et enasset rapidi freta saevi pericli. XIII. 221. subsidere saepe leonem. II. 265. humandi Deproperat munus. IV. 382. proruit Albanum etc. etc. In Iliade vid. 607. clipei perlabitur oras; quod exemplum nil insoliti habet, quamobrem talia e Punicis non attuli.

d) Accusativum verbalem habes in Punicis: XIII. 380. letum occumbere. I. 435. bella tonare. III. 439. scopulique omnes et lustra ferarum Pyrenen resonant. IV. 61. debellata bella voce sonat. XIII. 561. itque reditque vias. (Cfr. pag. 11. de adiectivorum neutris similiter positis.)

e) Restat, ut usum eius accusativi explicem, quo locus designatur, in quem motus fit (nos: Accus. der Ortsrichtung): cfr. IV. 761. optatos venere lacus. XI. 372. Carthaginis arces Ire ferox Mago... (iubetur). XII. 368. Sardoos ire recessus. VIII. 159. Cyrenaeam... urbem Devenio. XIII. 888. Prusiacas delatus segniter oras. XVII. 158. Aurora ratem Dauni devexerat oras. II. 281. mortem licet arma propinquent.

---

[1]) l. l. I. pag. 363—370.

In epitome nullum inest exemplum, nisi vero Barthii coniecturam probabilem putas: v. 1046. ‚it patriam' pro codicum lectione: ‚in patriam', quam coniecturam Baehrensius auctoritate sua communivit. Attamen hic accusativi usus liberior est, quam qui ad sermonem pedestrem scriptoris Iliadis quadret. Itaque editores varie corruptelam sanare studuerunt, L. Mueller, cum scribit: ‚in patriam it', Plessisius, qui ‚in patriam' nihil esse nisi glossema persuasum habet, nescio an verisimilius coniecerit: ‚Iamque redit'.

2. De dativo.

a) Semper Silius per analogiam sermonis Graeci dativum verbis „certandi" subiunxit. Hoc modo constructa sunt: certare I. 234. 248. II. 101. III. 308. IV. 202. 707. 817. V. 16. VII. 63. 199. 640. VIII. 591. IX. 543. X. 54. XIII. 222. XIV. 374. 645. 656. 680. XV. 14. 38. 586. XVII. 318. contendere V. 104. luctari II. 514. IV. 20. 583. 590. IX. 553. X. 295. XIV. 454. bellare IX. 503. XVI. 564. pugnare IV. 296. V. 624. VI. 589. 678. VII. 484. X. 474. concurrere V. 545. XIV. 129. XVI. 33. XVII. 519. congredi V. 566. — aliis locis.

Contra Iliadis scriptor, ubi his verbis utitur, semper praepositiones praefert: e. g. 327. cum saevo contendere Atrida. 934. contra magnum contendere ... Achillem.

b) Sequitur, ut exponam usum dativi verbis compositis subiecti, *α*. quorum simplex est verbum intransitivum: e. g. XVI. 623. lues ... moenibus urbis assiliet. VI. 251. (cuspis) capiti tremebunda resedit. VIII. 457. duro monti per saxa recumbens Narnia. XII. 560. credensque abscedere vitae, Quod sopor eripiat tempus. XIII. 179. incurrere muris Ignescunt animi. XIV. 298. atque armis intonat urbi. XV. 243. perque undas muris pedes advolat. XVI. 665. Hannibali ecce senectus Intremit. IV. 444. fontique relabitur amnis. XVI. 251. sociusque accede secundis. XV. 95. animis illapsa Voluptas. XV. 9. qui laceris ausit ductor succedere castris. XIII. 341. solem infervescere fronti Arcet. XIV. 436. (fax) ambusto instridens pelago. X. 462. caedi Evolat etc. etc. *β*. quorum simplex est verbum transitivum: e. g. VIII. 124. Quae dum abigo menti. VIII. 54. regnis se imponit Jarbas. XIII. 176. hostem Confisum irrumpere tectis. XV. 481. victricia signa Inmittit miles castris.

XVII. 642. Hiberus, Cum simul illidit ponto quos attulit amnes. XV. 154. saeva fretis immisit proelia. I. 173. penitusque infusa medullis Pestis. VI. 105. adverte procellis ... oculos. VII. 314. fronti religare maniplos. V. 560. referenti e corpore telum Advolat. VII. 294. hasta ... terrae defixa propinquae, — et multis aliis locis.

Sed iam satis superque; nam leviter tantum Punica perlegenti innumerabilia fere exempla occurrent. —

Ex Iliade fortasse haec memoranda sunt: 166. aspiret operi. 347. lateri ... telum Incidit. 337. incubuit membris Cygneidos. 754. Hector ... pugnae subit. 642. dictis accommodat aures. 87. 1027. affusus genibus.

c) Dativus, quem verba simplicia, imprimis verba coniungendi, asciscunt, apud Silium prorsus usitatus est: cfr. II. 7. huic comes aequato sociavit munere curas; cfr. III. 340. XI. 31. 149. etc. X. 336. iungit Tarpeia incendia Cannis; cfr. XI. 190. XV. 59. 288. VI. 450. III. 624. 638. IV. 720. etc. V. 346. num lateri cuspis sedisset. X. 400. haerens loricae ... pendet arundo. XVII. 167. terraeque Haerebat Latiae. XII. 340. sternuntur Iovi, — et simil.

Ex Iliade nihil comparari potest.

d) Verba motum ex loco in locum significantia, ut apud omnes poetas, ita apud Silium abunde videmus usurpata et cum dativo constructa: e. g. I. 1. arma quibus coelo se gloria tollit. I. 142. dum fert Herculeis Garamantica signa columnis. I. 462. vomit atra rubentes Fax coelo radios. IV. 165. rores Spargit humo. IV. 254. volvitur ille solo. V. 89. quae stragem Libyae portat. V. 241. nisi quem Deus ima colentum Damnasset Stygiae nocti. VII. 464. intrabat Saturnia ... silvis. VII. 594. membris venit vigor. VIII. 110. (ni) alto Egisset classem. X. 213. fundo volutus. X. 621. castris ire. XV. 327. ire sorori. XVI. 440. metis ... agebat Sese Panchates. XVII. 168. donec vis saeva profundo Truderet ... cfr. I. 277. 287. 370. 590. II. 244. III. 514. IV. 600. 629. V. 236. 518. VI. 498. IX. 289. XI. 470. XII. 123. 435. XIII. 814. XIV. 550. 317. 421. 581. XVII. 594. ... Etiam permulti alii loci exstant, cum in Iliade hic usus plane desit; semper enim — quod prosae orationi convenit — praepositiones positae sunt.

e) Dativus qui vulgo dicitur auctoris, quocum verba passiva coniunguntur, omnino apud poetas tam frequens est, ut vix tanti

sit ex Punicis exempla petere. Nihilo setius fiat, ut rem plane absolvam. Cfr. I. 82. Tyriis formidine cultum ... templum. I. 156. nymphis ululatus Hiberis. I. 272. bella sumpta viro. I. 293. magnanimis regnata viris. I. 318. huic ... torquetur lancea. III. 1. 61. 73. 204. 368. 593. 608. 621. 676. XIII. 1. 128. 322. 505. 538. 568. 612. 673. 685. 813. XV. 77. 82. 168. 192. 282. 289. 322. 337. 424. 510. 550. 638. etc. etc. Pariter res se habet in ceteris libris.

In epitome tamen ne huius quidem vulgaris dativi ullum adest exemplum.

f) Dativum quem vocant commodi et incommodi saepissime usurpatum esse a Silio unusquisqne scit, qui lectione carminis eius imbutus est. E. g. I. 92. Stant arae coelique deis Ereboque potenti. II. 52. populis saeclisque propaget Regna. II. 228. mihi gloria magnae ... venit pugnae. IV. 543. huic cadit ... Varenus; cfr. IV. 391. X. 28. XII. 333. XV. 252. 449. 647. XVII. 305. V. 260. — IX. 507. in tergum Rutulis cadit irritus ictus. XVI. 28. Ecce aliud decus ... Nutribat Fortuna duci. XV. 702. cui mille sub altis Lanigerae balant stabulis. XII. 745. petens sibi gaudia. XII. 332. altaria fument Centum festa Iovi. X. 613. Quam restare labem viro! X. 526. armorum acervos, arsuros, Gradive, tibi! VIII. 214. omnis Agenoridis rediit favor. IV. 558. huic horret thorax. IV. 548. victima nutrita Tonanti. IV. 544. arat cui divitis uber Campi Fulginia. IX. 194. cetera vobis Vincantur. IX. 201. raptor ... Dardanus vobis spoliaverit orbem — etc. etc. etc.

Multo simplicior atque exilior est huius dativi usus in Iliade: 78. turpem caecus amor famam liquisset . . . Gentibus Argolicis. 311. ultimus ille dies Paridi foret. 387. modo Troianis virtus, modo crescit Achivis. 228. cui cassis ... tegebat ... caput. — Haec igitur exempla cum illis Silianis ne conferri quidem possunt.

g) Dativum quem dicunt ethicum in Punicis habes e. g. II. 317. haud tibi Neritia cernes cum prole laborem. I. 46. similisque tibi per Celtica rura ... Trebia ... retro fluat. III. 584. iamque tibi veniet tempus ... VI. 127. vix puerile mihi tempns confecerat aetas. XIII. 854. Hic Marius ... veniet tibi origine parva In longum imperium Consul. XVII. 295. tu mihi Flaminii ... portas ora. XVII. 321. num segnior ibis Nunc mihi ...?

h) Dativus finalis apud Silium legitur e. g. his locis: II. 29. Hannibalem poenae petit impia tellus. IV. 798. me... vestris absumite votis = ad vota vestra solvenda. IX. 487. fusosque per aequor... acri restituit pugnae. X. 344. non te maioribus, inquit, Ausis... voco. X. 420. Dux erat exsilio collectis... Metellus. XII. 377. Sidonia pugnae Tela exspectabat. XII. 585. ad nobile letum Exspectant... senes mortique parantur. XII. 715. exsertos avidae pugnae ... lacertos. XIII. 356. caelataque pondera facta Tantum epulis auri = vasa aurea ad epulas facta. XVI. 174. Marti delecta iuventus. XVII. 280. seposta triumpho Laurens praeda ducis. XIII. 415. duc praedicta sacris duro placamina Diti. XIII. 418. apparat occulto monstrata piacula coepto. XI. 444. silice aggeribus per se scandente vocatis — etc.

Cfr. Iliadis versus 156.: iubet... aptari corpora pugnae.

i) Denique dativus frequentissime ex adiectivis aptus est: e. g. I. 541. superisque habitabile saxum. I. 187. virides ausis anni. I. 614. dextera ... capulo non segnis. I. 615, exiguo faciles; cfr. IV. 433. VI. 308. VII. 221. XV. 718. XVI. 77. — II. 402. nulli tegimen penetrabile ferro. III. 393. conscia thyrsis; 399. conscia Phoebo; cfr. V. 23. — III. 395. Maenas nocturna Lyaeo. V. 334. nulli non saucius hosti. VI. 254. novus dolori. VII. 26. fraudique inaperta senectus. VI. 413. impenetrabilis luctibus; cfr. VII. 561. — VIII. 345. surda castra... monenti. XI. 11. indocilis quieti. XI. 603. haud ulli superabilis. XII. 348. asper paci. XIII. 585. proclivis sceleri. XV. 177. hospita Tarraco Baccho. V. 131. nulli exorabilis. XVI. 16. inviolabile telis ... caput. XVI. 597. nec bello prospera turba. XI. 437. concordem citharae... linguam. IX. 451. 518. pugnae intenti.

In Iliade nullum vestigium huiusmodi inveni.

3. De genetivo.

Quattuor potissimum sunt genera genetivi, quae Punica legentibus vel saepissime occurrunt, in epitome autem maximam partem desunt: **a)** Genetivus partitivus. In hoc imprimis notanda est constructio illa poetica, quam Graecorum linguae deberi inter omnes constat: adiectivum neutrius generis, cum numero singulari tum plurali positum, cum genetivo substantivi ita iungitur, ut substantivi

quodammodo vice fungatur. Qui usus genetivi, rarus admodum apud Ciceronem, increbrescens autem inde a Livio scriptoribusque aetatis posterioris, maxime Tacito placuit. Sed quaetenus Silius hanc structuram adoptaverit, iam exempla docebunt. — α) Neutr. sing. I. 489. praeruptumque loci fidum sibi. II. 539. et quidquid scelerum, poenarum quidquid et irae. IV. 88. sub extremum noctis. VI. 119. quidquid duri. IV. 248. exiguum salutis. IX. 271. medio campi. IX. 375. brevis hoc vitae. XI. 41. medio dierum. XI. 332. quid vitae. XII. 291. quid prisci Martis. XIII. 185. in medium urbis. XIII. 438. quidquid ab imo Natum hominum exstinctumque chao est. XV. 139. per obliquum coeli. XV. 591. obscuro noctis opacae. XVII. 350. plus malorum. XVII. 152. id reliquum . . . opis auxiliique. VIII. 508. in obscuro famae. — etc.

β) Neutr. plur. — cfr. I. 559. extrema pericli. II. 276. belli meliora. III. 497. ardua montis. III. 514. crudisque locorum. III. 540. importuna locorum, III. 636. dura viarum. III. 640. densissima montis. IV. 8. per inania rerum. IV. 136. per inania campi. IV. 490. stagni languentia. IV. 499. prospera rerum. IV. 760. inter saeva locorum. V. 149. angusta viarum. V. 174. angusta loci. VI. 119. rerum inclinata. VI. 359. contra aspera ponti. VII. 3. ad dura laborum. VII. 98. secundis fortunae. VII. 108. ad ultima mundi. VIII. 25. XVII. 153. rerum extrema. VIII. 249. infima vulgi. VIII. 316. in devia recti. VIII. 556. campi per aperta. IX. 617. stagnantis per plana vadi. X. 206. ad campi suprema. X. 231. vitalia mammae. XII. 110. dura atque obsaepta locorum. XII. 326. leviora laborum. XIII. 105. ardua muri. XIII. 386. post belli extrema. XIII. 610. contra ardua montis. XV. 233. excelsa loci. XV. 493. trans ardua montis. XV. 505. pervia montis ardua. XV. 597. secretis ruris. XV. 635. dura rerum. XV. 668. per densissima campi. XVI. 161. talia rerum — etc.

Quantopere Silio haec constructio arriserit, ex his locis satis perspicitur; in Iliade autem omnino deest.

b) Genetivus qui vocatur appositionalis.

α) Nonnulli circuitus eloquendi sunt hi: II. 130. aggeres muri. II. 403. metallum chalybis. VII. 358. lymphata feruntur Corpora anhela boum. V. 161. nomen Iberi = Iberus. VI. 155. ingluvies ventris. VI. 330. tectus velamine frondis. X. 424. nulla nomina

Poenorum = nulli Poeni. XI. 471. ad puppim carinae. VII. 388. tanto pro nomine rerum = pro tantis rebus. XIV. 313. nebula atrae caliginis. XVI. 513. 558. finis metae. XVII. 232. munimenta castrorum — et al.

Huius rei epitome non prorsus caret exemplis, quae sane nihil insoliti habent: 3. animas fortes heroum tradidit orco.[1]) 291. corpora praedonis Phrygii; cfr. 12. 417. 438. 528. 531. 648. 1048. — 110. dona quietis.

β) Creberrime Silius hunc genetivum ita adhibuit, ut substantivum regens, adiectivi loco positum, vim primariam contineat. Cfr. I. 436. flagrantia bella Cornipedum afflatu tonat et stridoribus axis = equis anhelantibus et axe stridente. I. 475. tegmina galeae; cfr. I. 673. II. 166. 474. III. 236. V. 197. IX. 587. X. 118. 317. XV. 755. XVI. 110. etc. — I. 683. furor ducis = dux furens. I. 631 orantum squalor = legati squalidi. II. 45. ira senatus. II. 49. origo Beli = Belus atavus. II. 154. moles iuventae = validum corpus iuvenile. II. 167. lumina peltae gemmata = pelta gemmis splendida. II. 211. umbo aerati luminis = umbo aere splendens. II. 511. leti decus = mors honesta. II. 565. victoria Poeni = Poenus victor. III. 145. silentia vitae = vita ingloria sive de qua siletur. III. 480. glacies aevi = glacies aeterna. III. 507. decus belli = bellum gloriosum. IV. 255. pavor equi. IV. 544. divitis uber campi. IV. 561. terga ferarum = ferae fugientes. IV. 599. vis elephantorum. IV. 528. furor irae Tyriae = Tyrius (i. e. Hannibal) furens et iratus. IV. 617. laterum extentus = latera extenta. IV. 630. rigor ferri. V. 361. heredis honor = heres clarus. V. 36. noctis amictus = nox tegens; cfr. VII. 447. — V. 44. undae claustra = lacus obstans. V. 135. pondera remi; cfr. V. 216. 244. VI. 277. 355. IX. 336. XIV. 89. XV. 684. — V. 301. moles scopuli. V. 376. aequor campi. V. 435. robur membrorum. V. 468. novitas pugnae. — V. 51. fraus foraminis. VI. 42. rabies virtutis; cfr. VII. 546. — VI. 114. poenae nobilitas paternae. VI. 159. tabes afflatus = afflatus tabificus. VI. 195. moles arboris. VI. 240. afflatus pestis = halitus pestiferi. VI. 460. honor loci. VI. 583. monstra poenae = poena immanis vel insolita. VII. 32. vulnus

---

[1]) Cfr. Hom. Il. I. 3. . . . *ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν Ἡρώων.*

equi. VII. 135. furta viae. VII. 260. cura sagax Poeni. VII. 260. fraudis venenum. VII. 424. serpentis squamae = serpens squamosus. VII. 523. vecordia Minuci. VII. 605. aeris stridor. VII. 654. fraus fugae = fuga simulata. etc. etc. etc. Sed iam haec enumerasse exempla satis est; multo enim plura praebent Punica, quam ut omnia afferre liceat. Neque veritus sum in illis laudandis longius provehi, ut demonstrarem, cum hic usus ne in Iliade quidem plane abesset, quid discrepantiae esset inter audacem orationem Silii et scriptoris Iliadis ieiunam.

In Iliade hic genetivus praecipue ita usurpatus est, ut nomen proprium a substantivo abstracto pendeat. Cfr. 144. prudentia Nestoris. 154. 737. Nestoris aetas. 174. Menelai ardor. 175. Agapenoris ira; cfr. 333. 353. — 240. Ithaci sollertia. — Praeterea videas: 14. solacia natae. 274. virtutis honor. 264. nobilitas formae. 717. praemia laudis. 1007. ludorum honores = ludi honorifici. 1020. senectus patris. —

c) Genetivum relationis adiectivis subiectum Silius praeter ceteros ascivit. Tamen de hoc brevius quam pro numero exemplorum agam. Quae cum omnia fere Rupertius [1]) iam collegerit, ipse, ne aliorum scrinia compilasse videar, ea tantum commemorabo, quae virum doctum fugerunt. Sunt haec: I. 307. medius teli = telo per media viscera exacto. II. 108. (pater) medius iuvenum = in mediis filiis. III. 386. aevi fragilis. IV. 112. incertus fugae. IV. 585. celer nandi. V. 212. liber metuendi. V. 510. contermina caedis. VI. 144. prodigus laticum. VII. 126. sollers cunctandi. IX. 180. conscius sceleris. X. 221. fessus certaminis. X. 310. truncus capitis. XII. 268. immodicus fugae. XII. 492. anxius adventus. XII. 690. securus Hannibalis. XIII. 821. inclitus leti. XIV. 269. clamosus undae. XV. 270. notus famae. XVI. 440. certus laudis. XI. 280. inconsuetus opimae... mensae.

Iam conferas locos illos fere ducentos, quos Rupertius congessit: poetam mirum in modum graecissantem cognosces.

d) Genetivus qui a Draegero dicitur Graecus. — Cfr. I. 395. nemorum et vitae laudandus opacae. V. 561. laudande laborum. IV. 259. laudabat leti iuvenem. IV. 775. urbem complet maesti

[1]) Tom. II. append. 171.

clamoris. VI. 191. facti damnandus. VIII. 263. Fabium morae increpitare professus. IX. 6. segnitie (=-ei) Paullum increpitare. VIII. 440. quem carmine Circe Exutum formae volitare per aethera iussit. VIII. 588. desolataeque virorum Eridani gentes (ἀποστερεῖν). X. 84. consul non desinit irae (λήγειν). XII. 257. macte o virtutis avitae; cfr. XV. 275. — XIII. 876. fractus opum. XIII. 879. damnatus doli. XIII. 261. mussat perfidiae ductor. XVI. 248. o sceptri venerande Syphax. XVI. 604. satiatus et aevi Et decoris; cfr. IV. 435. satiatam sanguinis hastam. — XVI. 165. (cornipedem) quem ceperat ipse ... victor animique probarat i. e. propter ferociam. XVI. 223. vanique absistere coepti. III. 424. lugendam formae. III. 88. veneranda fide (=-ei). VI. 27. captae prohibere nequiret Cum Poenos aquilae. (κωλύειν, εἴργειν τινά τινος.)

Hic modus dicendi ad normam Graeci sermonis conformatus, quem sub c) et d) exemplis illustravi, ab Iliadis scriptore prorsus alienus sit.

4. De ablativo.

a) Poetarum more Silius, prout metro aptum erat, verba, in quibus notio separandi inest vel similis, praepositione (a, de, ex) aut adiecta aut omissa usurpavit, ita tamen, ut hoc longe praevaleat. — α) verba simplicia: I. 21. Pygmalioneis ... terris ... fugiens. I. 373. surgebat cumulo ... agger. II. 145. vastae se culmine turris Praecipitem iacit. II. 475. caelo spectans Tirynthius alto. II. 492. fer coelo auxilium. III. 283. Hesperidum veniens lucis. III. 373. celsa mittebat Saetabis arce. IV. 24. fidos certant obices arcessere silvā. IV. 430. Mavors in proelia currus Odrysia tellure vocat. V. 55. tollentes aequore currum. VI. 336. nubes ... Laconum Saxosis latebris funditur. VII. 83. pellere nostris ... terris. VII. 433. patria ... sede fugatae. IX. 285. (unda) acta cavernis. IX. 319. vellere sede. IX. 399. crebro sanies ruit. IX. 400. manant ... lumina fronte. X. 398. galeis carpsere ... Cristarum decus. XI. 107. urbe facesse. XII. 76. moveri non ausum portis. XIII. 333. imoque cadit barba hispida mento. XIII. 354. mensaeque alia tellure petitae. XIV. 63. rotat ... saxa cavernis. XIV. 263. coelo traxisse volucrem. XV. 432. ructatos ore cruores etc. etc. etc. β) Verba composita: II. 47. ponto ... revocate carinam. II. 86. tumuloque propinquo ... spicula con-

torquens. II. 49. deductus origine Beli. II. 67. repetebat nomina luco. II. 129. devolvitur altis Aggeribus. II. 225. portaque atque aggere tuto erupisse gemunt. II. 459. tandem aequore vano Avertunt oculos. II. 589. muris delabitur altis. III. 627. solioque Quirinus Concedet. IV. 516. humeroque refulget ... saguli decus. IV. 577. lento convellere limo ... vestigia. V. 25. nec se thalamis Tithonia coniunx Protulerat. VI. 195. penitusque revulsam (molem) Evertit fundo. VI. 638. limine progressos uno. VI. 680. proiectum puppi. VII. 525. procedere castris. VIII. 569. Lucanis excita iugis. XI. 360. lacrimae tunc ore profusae. XII. 247. Oceano rediens. XII. 494. tot millia portis abstrahere. XII. 517. demigrantem sede Tarpeia. XIII. 852. remeare tenebris. XIV. 651. (arma) ... Libya quae sunt advecta subacta. XIV. 162. Stygia ... sede reducens. XVI. 198. dona ... praeda delecta. XVII. 240. rupe procellas concitat. XVII. 110. accitaque regno ... pubes. XVII. 246. se attollens Nasamonum sedibus — etc. etc. etc. Sed totas paginas implerem, si silvam locorum huiusmodi integram annotare vellem.

In Iliade usus hic est multo parcior: cfr. 326. fugerat ore color. 436. Parte alia volitat ... Pandarus. 126. cum primum emerserit undis. 158. caput extulit undis. 528. egreditur ... certamine belli.

b) Usitatissimus est apud Silium ablativus loci omissa ‚in' praepositione:

α) in nominibus propriis: I. 221. auxilia Europā genitoris parta trophaeis. IV. 302. summo venator densa Picano Cum lustra exagitat. IV. 730. Ausoniā si te Fortuna creasset. IX. 605. Pindo Rhodopeve incendia pastor Cum iacit. XIII. 836. ardenti Phlegetonte natat. XVI. 23. nec vero Ausoniā tantum se ... agebat ... Mavors. XVI. 219. tu Libyā, tu te Ausoniā cohibere memento.

β) Alia exempla sunt: I. 7. qua tandem poneret arce ... Fortuna caput. I. 96. flagrant altaribus ignes. I. 224. non Eleus eat campo ferventior axis. I. 265. stetit aggere muri. I. 270. extremis pulset Capitolia terris. I. 275. conditus excelso ... colle Zacynthos; cfr. II. 446. — I. 353. Pyrenes trabs lecta iugis. I. 370. Alpibus altis Aeriae rupes ... scindunt montem. I. 540. (lancea) femine adverso ... sedit. III. 3. (populi) positi ... cardine mundi. III. 6. aequore vela dare. III. 11. fatidico pandit ... saecula luco. III. 57. fusi transtris. III. 129. pendentibus arbore nautis. III. 225.

glomerarit litore turmas. III. 290. plaustris habitant. III. 310. spectati castris. III. 320. invadere fluctu Audax naufragia. III. 378. alas probat aequore aperto. III. 404. genuit quos ubere ripā ... Baetis. III. 409. longaque umbram tellure trahebat. III. 414. candida perspicuo connectunt bracchia ponto. III. 439. tumulo tum membra reponit. III. 465. torsit arenoso ... murmura ponto. III. 555. optato vertice sidunt. III. 556. castraque praeruptis suspendunt ardua saxis. — Praeterea cfr. I. 266. II. 174. 185. III. 56. 646. 663. IV. 216. 257. 271. V. 483. 610. VI. 316. VII. 120. 532. VIII. 309. IX. 10. 39. 85. 271. 495. XI. 415. XII. 162. XIII. 660. XV. 230. 280. 400. 444. 459. 540. XVI. 290. 352. 364. 412. XVII. 264. 650. etc. etc. etc.

Et haec quidem hactenus; nam chartam ut aiunt perderem, si in talibus exemplis enumerandis laborem collocare pergerem.

Prorsus contraria est consuetudo scriptoris Iliadis, in qua unum exemplum reperiatur: 34. posuisse altaribus ignes.

c) Albativum limitationis vel relationis relinquamus, quippe qui cotidianus atque vulgaris sit et ob eam causam vix argumento esse possit.

d) Saepius Silius nudo ablativo modi usus est, ubi ex more scriptorum optimorum ‚cum‘ praepositio addenda erat: e. g. I. 181. crucem clamore reposcit. IV. 820. Di ..., quorum delubra ... coli gaudent formidine matrum. VII. 654. spargentem ... fraude fugae calamos ... etc.

Hoc in Iliade non invenitur.

e) Haud raro in Punicis ablativus auctoris adhibitus est omissa ‚a‘ praepositione: I. 214. (plaga) nec Cerere Hennaea, Phario nec victa colono. I. 691. lectique senatu. II. 356. Hercule tritas ... vias. III. 254. (Ilertes) antiquo laudatus Hamilcare quondam. VI. 167. Aquino Apenninicolā atque Umbro comitatus Avente. VI. 633. virgo, Hospite victa sacro. VI. 642. turbatus Iove. VIII. 50. deserta est hospite Dido. XI. 420. afflatus fallente Cupidine. XIII. 225. perfractae milite portae. XIII. 305. Tyrio maculatus hospite sedes. XIII. 326. Pan Iove missus erat. XIII. 409. maiori vate canentur. XIII. 683. desertos milite. XIV. 126. regnatam Laestrygone terram. XIV. 281. hoste intratos muros. XIV. 453. desertam ductore ratem. XVII. 154. Superum desertos numine.

IX. 63. nec ... Diomede feruntur, Sed te ... insignes consule campi.

Ex Iliade nihil repeti potest.

f) Ablativi instrumenti maiore cum licentia usurpati, cum de hominibus agatur, haec exempla digna sunt memoratu: II. 65. atque is fundarat thalamos Tritonide nympha. II. 84. sed virgine densior ala est. III. 102. (Bacchus) concutiens thyrso atque armata Maenade Calpen. IX. 189. ora sepulto Lydia Flaminio premitur. XII. 397. Rudiae memorabile nomen alumno. XIII. 654. te, quo stabant Itala regna. XV. 3. geminus iacet hoste superbo Scipio. — Ablativum instrumentalem ad res pertinentem omnino missum facio.

In Iliade nihil memorabile legitur.

g) Extremum est, ut quaedam verba afferam, quibus a poetis solus ablativus adiungitur: mergere et comp. I. 51. 62. 232. 664. II. 182. III. 453. IV. 572. 694. 800. VI. 273. 681. IX. 189. 497. 541. XI. 122. 427. XII. 659. XIV. 233. 285. 500. 533. 541. 553. XVII. 313. 559. — condere I. 210. 275. 557. II. 260. 611. V. 279. 379. VI. 199. VII. 133. XII. 3. 544. XIII. 40. XIV. 247. — claudere et comp. IV. 621. 777. II. 408. 450. VI. 451. X. 649. XI. 138. — abdere XV. 488. XVI. 4. — occulere VI. 193. — occultare II. 419. — abscondere VIII. 191. XI. 519. XIV. 636. — saepire XII. 664. etc.

Contra Iliadis scriptori magis placuit verba eiusmodi cum praepositionibus construere: 616. cum fessus in undas Coeperat igniferos Titan immergere currus. 708. Abdiderunt . . . corpora post frutices. 778. Ascalaphum mergitque sub umbras.

IV. De usu praepositionum.

In usu praepositionum cum omnes poetae noluerint sermonem angustioribus prosae orationis finibus contineri, Silius magnas licentias sibi sumpsit, maxime ni fallor propter rationes metricas. Contra Iliadis scriptor. qui meram, ut saepius significavi, prosam orationem versibus inclusit, nihil fere insoliti praebet; quo fit, ut hoc capite propemodum de sola Silii elocutione acturus sim.

„Ad" praepositionem ab adiectivis pendentem habes e. g. his locis: II. 518. tentantque aegros ad proelia nisus. X. 534. maestas ad busta cupressos. XII. 560. ad requiem facilis. VIII. 366. habiles ad aratra Labici. I. 261. sternacem ad proelia frenis Frangere

equum. I. 405. virens ad bella senectus. IV. 100. ad pugnam Martemque insania concors... „Ad“ pro nudo ablativo habes XII. 252. Attonitus stupet ad vultus.

Haud raro Silius „ante“ atque etiam saepius „post“ praepositiones usurpavit, ita ut pro coniunctionibus „antequam“ et „priusquam“ adhibitae sint. Quae brevitas dicendi praecipue Tacito peculiaris est. — II. 30. dabitur tibi copia nostri ante exspectatum = antequam exspectaveris. IX. 52. Quamque fluant arma ante tubas = antequam tubae inflentur. IV. 746. post Alpes si stetur montibus illis = postquam Alpes superatae sunt. VI. 136. nec cuiquam post talia dona non praelatus eques = postquam talia dona accepit. VII. 466. post fratris toros = postquam frater eam uxorem duxit. X. 590. post Trebiam, post Tusci stagna profundi — postquam ad Trebiam et lacum Trasumenum gravissimas clades acceperunt. X. 657. post te (i. e. Carthaginem) = postquam deleta es sive post excidium tuum. XV. 79. post Seras et Indos = postquam Seras et Indos visit — etc.

„Ante“ praepositionem ad significandum principatum, qni usus omnibus temporibus apud scriptores invenitur exceptis Cicerone et Caesare, Silius e. g. adhibuit: I. 26. Hic Iuno, ante Argos..., ante ... Mycenen Optavit profugis aeternam condere gentem.

Satis frequens est in Punicis „per“ praepositio, ubi exspectas ablativum instrumentalem. II. 115. non grata Iovem per vota vocabat. IV. 761. ubi deinde per arma Sumeret amissi numerosa piacula visus. IV. 8. docilis per inania rerum Pascere rumorem vulgi pavor = rebus inanibus. VII. 127. per ovilia clusum... pecus (cfr. pag. 32). VII. 423. per varias lusit formas. VII. 483. Damnatoque Deum quondam per carmina campo; cfr. XI. 437. — X. 3. per vulnera colligit hostem. XIV. 60. Murmure per caecos tonat irrequieta fragores — etc. etc.

Crebro Silius ita neutra cum „per“ praepositione coniunxit, ut adverbiorum loco posita esse videantur. — cfr. II. 465. per longum celata fames = diu; it. X. 206. XIII. 462. XV. 785. — X. 504. per subitum; it. XIV. 330. XV. 145. 401. — X. 353. per tacitum; it. XII. 554. 654. XVII. 215. — XIV. 14. per occultum. — etc.

„Inter“ praepositio permultis locis nihil aliud significat nisi „in“ seq. ablativo; ut I. 477. arma... Inter solem auro rutilantia. IV.

671. Talin' me leto tanta inter proelia nuper Servastis? V. 170. VI. 348. IX. 387. 409. 419. XI. 141. 147. XIII. 150. XIV. 148. 171. 629. XV. 381. XII. 644. II. 188. — IV. 751. tanta inter inhospita = in tam inhospitis regionibus. VI. 382. inter tristia = in rebus tristibus. VII. 13. inter prospera bella. VIII. 105. vota inter nostra. IV. 760. inter saeva locorum. XVI. 74. captivus lucem inter vincla petebat. XII. 536. inter tanta — etc. etc. Eadem notione habes „intra" praepositionem' XIV. 465. quanto maiora paravit Intra pastorem sibi nomina! = in vita pastorali.

Nonnumquam „inter" praepositionem legi, cum solum ablativum exspectemus, ut IV. 109. (accipiter columbas) Ter quinas dederat saeva inter vulnera leto. V. 37. Squalebat pressum picea inter nubila coelum = opertum piceis nubilis. IV. 45. prisca inter tempora. XI. 506. prisca inter saecula. — etc.

„A" praepositio primum usurpata est ad originem notandam, ut I. 431. Litore ab Hesperidum Temisus. V. 271. Atlas a litore Ibero. VIII. 31. Hannibal a vestro nomen memorabile Belo. VIII. 405. Tullo sanguis ab alto. VIII. 412. a sanguine Clausi... Nero. VIII. 439. Picus quondam nomen memorabile ab alto Saturno. X. 173. Phorcys ab oris Herculeis. — etc. Tum insolentius legitur ad rem quae efficit designandam: e. g. III. 278. falcatus ab arte Ensis. IX. 565. genitor tibi natus ab armis. X. 5. omni letum molitur ab ense. XIV. 662. simulacra Deorum Numen ab arte datum servantia...

Multo saepius „a" praep. ad causam exprimendam posita est, vel coniuncta cum adiectivis ut XII. 551. asper ab ira. XVI. 520. saevus ab ira. IV. 165. taetros a sanguine rores Spargit. IV. 106. (columbas) notasque ab honore Diones. I. 614. Dexteraque a curvis capulo non segnis aratris —, vel ita, ut in sermone pedestri participium perfecti passivi addamus omissa praepositione, ut II. 139. arcus ter moesta movit ab ira. IX. 535. Iuno, longique laboris ab ira, Immo, ait. XI. 99. exclamat Marcellus ab ira; cfr. VI. 699. — etc. Etiam participium additum est: IX. 110. subita flammatus ab ira. — Denique interdum „a" praepositio posita est, ubi „ex" praepositionem malumus: e. g. III. 15. donis quae nuper ab arce Victor... rapuit... Sagunti. V. 52. Introitu facilem quem

traxit ab aequore piscem. VII. 44. domo... ab una Patricius exercitus ibat. —

„De" praep. invenitur pro „a" vel nudo ablativo: e. g. I. 72. Ortus Sarrana prisci de Barcae gentis. I. 152. antiqua de stirpe Tagum. I. 377. Rutulo Maurus de sanguine. I. 229. Electri gemino pollent de semine venae. VI. 634. Fabium de crimine laeto Procreat — etc., nonnumquam pro „ex" praepositione, ut IX. 520. dextramque ipso de vulnere vellit — etc.

„Ex" praep. pro solo ablativo adhibita est e. g. IV. 156. manicaeque rigebant Ex auro. II. 60. iniquo e sole calentes Battiadas — etc., pro „de" praepositione e. g. I. 473. Non cuncta e muris unum incessentia tela. II. 106. Coryti fratrum ex humeris... Haerebant. II. 251. celsoque e culmine muri Lamentis vox mixta sonat — etc., pro „a" praepositione e. g. II. 215. Sicut agit... E pastu volucres... Vesper etc.

„In" praepositionem pro „ante" habes X. 463. domini consistit in ora iacentis.

Plurimos possum afferre locos, quibus Silius Vergilii auctoritatem secutus „in" praep. posuit ad eventum designandum; sed cum omnes hic laudare necesse non sit, tamen, quo clarius elocutio Siliana perspiciatur, plura exempla putavi annotanda esse: II. 129, Tum subitum in vulnus praeceps devolvitur altis Aggeribus muri. IV. 19. domitat... Cornipedem in gyros. IV. 151. in titulos Capitolia capta trahebat. IV. 318. sinuant in cornua gyros. VI. 636. in Herculeos mater ventura nepotes. VIII. 102. congessit in atram Cuncta tui monimenta pyram. XII. 162. Nola crebris circumdata in orbem Turribus. XV. 225. pigram in planitiem stagnantes egerit undas. XVII. 293. ignifero mentes furiabat in iram Hortatu; cfr. V. 159. fodiant... pectus in iras. V. 5. effigiem in pelagi lacus humectabat... VII. 190. quercu in cratera cavata — etc.

Rarius et apud aequales Silii et apud eum ipsum „in" praepositio seq. accus. vices ablativi limitationis obtinet — id quod apud scriptores aureae latinitatis plane inusitatum est. Cfr. in Punicis XI. 504. Superis in vota secundis. II. 498. fecundum in fraudes hominum genus...

De usu finali „in" praepositionis haec habeo, quae afferam: I. 420. ductorem... in proelia poscit. I. 455. in praedas stantem

dabat improbus urbem. IV. 756. non cetera membra moratur In pretium belli dare. V. 499. aeratam ... in bella bipennem = ad usum belli. VII. 630. telo non in sua vulnera misso; cfr. VII. 653. — VIII. 149. ensem Dardanii quaesitum in pignus amoris. — VIII. 606. In decus Hannibalis duros misere nepotes. VIII. 281. trepidā pendens in verbera planta = ad calcaria subdenda. XI. 214. certasse volenti In decus et famam leti. XI. 361. servatus in arma Scipiadae = ut armis Scipionis servaretur. XIII. 165. qua sit certissima ferro In vulnus via ... etc. etc.

Semel repperi „in" praep. seq. accus. subiunctum verbo mergendi, cum alioquin Silius verba eiusmodi cum ablativo instrumentali[1]) construere soleat: X. 207. afflictos tumidum demersit in amnem.

Aeque ac „per" Silius etiam „in" praepositionem cum neutris adiectivorum coniungit, saepius simul cum vi adverbiali, cuius usus haec exempla affero: XIII. 873. in aeternum. XIV. 47. in longum. VII. 527. in subitum.

„Sub" praepositione Silius liberius usus est variis cum notionibus; cfr. II. 435. pendet sub imagine poenae Regulus. VI. 633. paupere sub populo ductor. VI. 381. claudebam sub[1]) corde metus (pro abl. instr.) — Item supervacanea est praepositio: VI. 210. Spectatum Marte sub omni ... equitem. IX. 366. nullumque sub ima Cuspide procumbit corpus. XI. 244. sub ira Infremuit leo. IX. 258. Mancinique inde reversus Fraterna sub morte dolor. — XVII. 374. venietque pari sub nomine ductor = cum. — IX. 373. sub nomine mortem = m. honestam. XIII. 400. sub numine Phoebi = praesidio Phoebi. XIII. 878. Macetum sub armis = armis Macedonum.

„Super" praepositionem seq. abl. saepissime legimus pro „de" praep., quae significatio, rara apud Ciceronem (ter in epistulis), apud Caesarem omnino non obvia, postea magis magisque increbuit. — cfr. I. 6. super regno certamina movit. II. 271. consultant bello snper. III. 6. vatum mentes agitare ... super imperio — etc.

Rarissime est „super" praep. seq. abl. ita adhibita, ut locus designetur: III. 40. (Antaeus) Nec levior vinci ... Matre super. —

---

[1]) Cfr. pag. 32.

Ac de praepositionibus hactenus; multa autem in hac brevi disputatione me omisisse, quae communi omnium scriptorum usu satis defenduntur, consentaneum est.

Ex Iliade haec videntur annotatione digna esse: 320. superatus ab armis Coniugis. 350. doctus ab arte paterna. — 516. curruque... ab alto Desilit pro „de". — 525. Quin caderet tenuemque daret de corpore vitam = ex. [Item 624. de matre creatum.] 676. illum rapiunt de caede sodales. — 1039. pater esse meo... de vulnere disco. — 153. cadet ec Danaum... Ilion armis. — 431. e Strophio genitum. — 102. ut... revocare velis in proelia vires; cfr. 119. 133. 702 etc.

VI. De attributo.

De usu attributi id tantum dicendum est Silium persaepe ac nonnumquam quidem satis audacter substantiva appellativa usurpasse, quae vices adiectivi attributivi obtinent: I. 75. Belides iuvenis. I. 173. carnifices manus. I. 218. viri bellatores. II. 45. dominus senatus. II. 411. VII. 68. bellator equus. XIII. 376. bellator ensis. II. 444. Cydon latrator. II. 683. victor leo. III. 387. iussa magistra. IV. 121. penna magistra. IV. 358. ductor parens. IV. 723. monitor deus. IX. 234. Baetigenae viri. IX. 306. terrigena exercitus. XI. 195. dextera vindex. XI. 274. minister grex. XI. 374. nuntia facta. XII. 532. bellator Frusino. XIII. 813. pastor maritus. XV. 184. creatrix tellus. XV. 212. victor equus. XV. 593. vallum custos. XVI. 80. explorator eques. XVI. 371. victor hostis. XVII. 1. hostis advena. XVII. 68. mensae testes. — Omisi alia vocabula ut victrix ultrix altrix famulus etc. neque minus nomina propria a terrarum nominibus derivata, ut I. 408. Nasamon populator. I. 252. exercitus Astur. XIV. 39. Cres accola —, cum haec omnia in sermone poetarum revera vim substantivorum amiserint.

Ac duo tantum eiusmodi vocabula minimeque inusitata in Iliade leguntur: 172. bellatrix Graecia. 819. ultrix dextra.

De enuntiatis coordinatis.

I. De particulis.

1) De particulis copulativis.

Figuram quam Graeco verbo vocamus πολυσύνδετον Silius neque nimis saepe adhibuit neque, si adhibuit, nimis abundanter, cum numquam „et“ particula saepius geminata sit quam quinquies: e. g. X. 304. et Nomas et Garamas et Celtae et Maurus et Astur. XV. 569. et penna et fulmine et undis Hibernis et Achaemenio velocior arcu ... — Solet autem enumerationem „que“ particulā interrumpere: XII. 610. et ventos simul et nubes et grandinis iras Fulminaque et tonitrus et nimbos conciet atros. — Praeterea respicias XI. 551. et litora et amnes Et stagna et latos ... XII. 658. Quo tremat et Rhodope Taurusque et Pindus et Atlas. VI. 208. utque erat in pugnas et Martem et proelia et hostem Igneus et magna ... XIV. 515. et Cyane et Anapus et Ortygie Arethusa. — cfr. VI. 324. VII. 296. 598. VIII. 453. IX. 555. X. 496. XI. 144. XV. 98 etc.

In Iliade vid. 864. et ... Olympum, Omnes et terras et cinctum Nerea circum.

Saepissime ‚et‘ particula annectitur membrum tertium enuntiati membris praecedentibus, ut X. 264. tum visa cremari Roma viro, tunc ad portas iam stare cruentus Hannibal et totum ... X. 617. adversis ferri ..., non posse dolores Condere et ex poena solacia poscere ... cfr. II. 539. XI. 560. XIII. 311. sqq. 527. XV. 96. etc etc.

In Iliade vid. 143. caruere manus, ... clamor tollitur et omnes ... corripit ardor. 785. redeunt, fit ... caedes ... et manat tellus.

Interdum ‚et‘ particula a Silio posita est, cum exspectes ‚neque‘: e. g. I. 171. sqq. Non ignes ..., non verbera ..., Carnifesve manus penitusve infusa medullis Pestis et ... flammae cessavere. VI. 68. haud illi comitum super ullus et atris Vulneribus qui ferret opem. IX. 238. et nullo cuneos munimine vallat. XII. 295. consueta ... audire ... eventus Roma et numquam recreata secundis.

Figura quae dicitur ἓν διὰ δυοῖν legitur e. g. II. 69. venatu et silvis primos defenderat annos = venando in silvis. II. 158. centum angues ... Lernaeaque monstra = hydra Lernaea centum

capitibus armata. IX. 32. morem et pugnae signum = assuetum pugnae signum. III. 507. post belli decus atque acies = post gloriosas belli acies. IV. 34. Alpes et pervia saxa = p. s. Alpium. VII. 708. suprema ac foeda precantem = mortem turpem. XVII. 340. signum pugnamque petebant = signum pugnae. — al.

„Et“ particula pro „etiam“ usurpata est e. g. XIII. 732. si studium (scil. tibi est) et saevam cognoscere Hamilcaris umbram. VIII. 562. Affuit et Samnis . . .

Saepe „et“ particula addita est ad verborum gravitatem augendam, cum ad novam actionem transitur: e. g. I. 399. „Narrabis Hamilcaris umbris Hanc, inquit dextram . . .“ et ferit alte Insurgens . . . cassidis aera. IV. 475. Macte, o macte indole sacra Vera Iovis proles; et adhuc maiora supersunt . . . etc.

Iam consideremus usum „que“ particulae. — Quam particulam poetae valde adamaverunt propter commodiorem dactylorum formationem: cfr. II. 444. gaesaque latratorque Cydon tectumque focique. II. 689. custosque Molossus Pastorumque cohors stabulique gregisque magister Totaque etc. . . . IX. 559. equitemque virosque feraeque. — Et haec quidem polysyndeta minime rara sunt, cfr. I. 437. sqq. II. 110. sqq. 160. sqq. IV. 220. sqq. IX. 492. sqq. XII. 275. sqq. etc. etc. Nil dico de eis locis, ubi „que“ particula duobus verbis adiuncta est, maxime in fine versus, quippe cum hoc plane usitatum sit.

In Iliade ter „que“ particula annexa est 235. Deiphobusque Helenusque simul fortisque Polites. 375. Inque vicem Troumque cadunt Danaumque catervae.

„Que“ particula etiam crebrius quam „et“ posita est post vocem negantem: cfr. I. 117. non celsae obstiterint Alpes Tarpeiaque saxa. I. 473. Non cuncta . . . tela Fumantesque . . . faces; cfr. V. 246. sqq. XV. 303. sqq. etc. — XII. 472. victorque moram non passus eundi. — „Que“ pro „sed“ habes II. 320. nec requies aevi nota, exsanguesque merendo Stant prima inter signa senes letumque lacessunt. II. 366. Occumbam potius nec te, patria inclita, dedam Aeternum famulam liberque Acheronta videbo. —

„Atque“ particula, qua continuetur oratio, frequentissime invenitur: e. g. II. 153. Atque illi non hasta manu, non vertice cassis (scil. erat.) II. 391. Atque ea dum . . . agitantur. — al.

Sicut „et“, nonnumquam etiam „atque“ ad tertium enuntiati membrum adiungendum usurpatum est: velut IV. 309. fugere ferae, fugere volucres Atque ... trepidant ... iuvencae. XII. 453. assessos Capuae muros, claustra ipsa revelli Portarum ac totum miseris incurrere bellum. XIV. 134. Ite, gregem metite imbellem ac succidite ferro.

In locum „sed“ particulae „atque“ substitutum est II. 132 sqq. Exclamat ... frater ... Atque illum ... Hannibal praevertit. X. 581. sqq. nec enim superesse iuventam, Ac stare Ausoniae vacuum sine corpore nomen. — „Ac“ particulam sequente vocabulo quod negat habes pro „neque“ IX. 191. ac nullo sulcantur vomere campi. XII. 315. sq. nudare penates Ac nihil ... Seposuisse iuvat. IX. 215. atque ultra te ad proelia, miles Nulla voco. — „atque ne“ pro „neve“ XV. 161. Da, pater, ac nostros ne sperne iuvare labores. — Imprimis autem memoria dignum est „atque — atque“ pro „et — et“. I. 93. atque Hennaeae numina atque Acheronta vocat — cuius usus duo tantum exempla reperta sunt: praeter hoc Silianum Verg. ecl. V. 23. atque deos atque astra vocat crudelia mater. —

Iliadis scriptor similia non habet.

Usitatissimum est in Punicis „nec“ coniunctum cum „non“ negatione, ut sententia aiens efficiatur. Silius autem has negationes conectere solet, cum Cicero eas aliquot verbis dirimat. — Cfr. II. 83. 432. III. 252. 306. 325. IV. 653. VI. 680. VII. 86. 511. 617. VIII. 367. 416. 474. 574. 604. IX. 66. XI. 111. XII. 155. XIV. 203. 227. XV. 683. XVI. 174. 554. etc. — In Iliade unum exemplum reperitur: cfr. v. 775. nec non occumbit ... Alcathous.

Denique Silius „nec“ particula usus est, ubi accuratius dicendum erat „ne — quidem“, non item scriptor Iliadis Latinae. VI. 417. quo maius numine nobis Tarpeia nec in arce sedet. VIII. 436. stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon. XII. 306. sed enim nec femina cessat Marte aequare viros.

2) De particulis adversativis.

Permultis Punicorum locis „sed enim“ particulae quasi coagmentatae sunt, quibus res quae affertur opposita simul confirmatur, cum causa cogitatione addenda est. Cfr. I. 33. II. 180. VII. 506. X. 289. XI. 46. XII. 104. 306. 435. 627. 719. XIII. 129. XIV. 425.

XV. 123. 609. XVII. 116. 346. etc. — sed vero sed enim. [1]) X. 592. XII. 332. — sed enim vid. in Iliade v. 896.

Vetustiorem „at" particulae formam „ast" habes his locis: ast illum I. 448. 574. IV. 383. IX. 120. ast ubi I. 123. X. 353. XII. 175. ast Ithacus II. 183. ast Stygius III. 35. ast aliae VI. 560. VII. 446. XIV. 381. ast ego IV. 826. VIII. 229. IX. 161. XVI. 204. ast delecta XI. 190. ast hic XII. 116. XVII. 484. ast aeque XII. 471. ast altera XIII. 203. ast eadem XIV. 31. ast Aetna XIV. 58. — In Iliade vid. 676. ast illum.

Vergilium secutus Silius „at" particulam adhibuit, non ut duae res sibi opponantur, sed ad narrationem continuandam: e. g. I. 426. 558. II. 121. 138. 233. 247. 264. 380. 429. 437. 632. III. 66. 158. 378. 384. 415. 436. 463. 500. 557. IV. 33. 43. 311. 401. 430. 483. 700. VI. 190. 221. 346. 497. etc. etc. etc. et innumerabilibus fere aliis locis, quos omnes annotare nil attinet. — In Iliade vid. vv. 44. 73. 96. 179. 199. 611. 623. 682. 790. 911.

Tum „at" particula adhibita est in exclamationibus et ardenti gravique oratione, praecipue ante imperativum: e. g. XI. 324. At tu securis concede penatibus et me Linque meae menti.

3) De particulis disiunctivis perpauca habeo quae memorem. Legitur „vel—aut" VII. 393. vel montibus altis Amnibus aut rapidis. XIV. 6. Aut vaga Sardoo vestigia cingere fluctu Vel Tyriae quondam regnata mapalia genti. XVI. 32. aus astus belli vel dextera deerat. V. 281. sqq. vel territa pennas Colligit ... columba Aut dumis subit. — „Aut" pro „neve" XVI. 127. Ne vero ... tam laeta pavesce prodigia aut sacras metue inter tempora flammas. — „Ve" pro „que" II. 22. notum ... Quantum irae liceat motusve quid audeat ensis. — Inusitatius usurpatum est „ve—ve" pro „utrum—an". X. 610. Incerti trepidant, tendantve negentve Iactata dextras.

4) De particulis causalibus. Ac ne de his quidem plura mihi dicenda sunt. Creberrime in unoquoque libro „namque" particula invenitur, quae uno loco nihil habet, ad quod referatur, sed Graeco more transitioni servit: XIII. 468. (vid. ad hunc locum interpretes.) — „Quippe" pro „nam" saepius legimus, e. g. III. 119. 330. VII. 663. VIII. 354. IX. 125. XIII. 45. etc. etc.

---

[1]) Si vera est scriptura librorum.

„Itaque" apud Silium et Iliadis scriptorem frustra quaeras; nam huius particulae vices obtinet „ergo", in Punicis praeterea, sed rarissime „quare".

II. De asyndeto.

Asyndeto Silius minime delectatus est, sed perraro hac figura sermonem exornavit semperque in singulis vocabulis enumerandis. E. g. VII. 578. omnia... Dura simul devicta viro, metus, Hannibal, irae, Invidia. XI. 563. Tela, viros, aurum, classes, alimenta precatur. XIII. 788. Carmine complexus terram, mare, sidera, manes.

Contra Iliadis scriptor satis crebro in iungendis enuntiatis minus curiosus fuit, potissimum sub finem carminis. Cfr. 479. pronus ruit; illius ense... caput a cervice cucurrit. 493. Deficiunt... acies, Phryges... instant. 837. ... pubes... exultat, Danai ... maerent. 842. Palluit... iuvenis; calor ossa reliquit, Unguibus ora secat. 888. Tondent prata greges, pendent in rupe capellae. 963. desiliitque mucro; gemuerunt agmina Troum. 977. Exultant Danai, Troes ... maerent. 365. Purpuream vomit ille animam, cum sanguine misso Ora rigat moriens. — et multis aliis locis.

De enuntiatis subordinatis.

I. De enuntiatis substantivis.

Coniunctivi omissa „ut" coniunctione apud Silium satis multa exempla deprehendi; tamen hunc coniunctivum ab iis tantum verbis pendentem vidi, quae plurimi poetae saepius ita construunt. Cfr. orare II. 379. Latioque id verteret omen Oravere Deum. III. 115. V. 84. VI. 463. VIII. 88. X. 63. XVI. 601. XVII. 365. etc. — precari II. 676. IX. 151. X. 63. 348. — optare VI. 526. — facere IV. 812. VII. 115. — iubere IX. 29. — dicere X. 282. — mandare XV. 803. — sim. Ac ne talia quidem Iliadis scriptor sibi concessit. —

Insolentius „ut" positum est XVII. 613. mihi satque superque Ut me Dardaniae matres atque Itala tellus... exspectent... — et semel adiunctum verbo „sedendi", cum ceteroquin et Silius et alii poetae infinitivo utantur: V. 121. An... sedet clausum se consul inerti Ut teneat muro? — Enuntiatum interrogativum indirectum

adiectivo subiunctum habes IV. 702. Nescius heu! quanto superi maiora moverent...

Venio iam ad partem elocutionis Silianae, quae uberrimam materiam subministrat atque ad dissimilitudinem carminum in quae inquirimus demonstrandam vel maxime pertinet, ad usum infinitivi. Nihilo minus hanc disputationem, pro abundantia rei, paucissimis verbis comprehendam; nam cum a duobus aliis, Schinkelio quem supra commemoravi et Ioanne Schmidtio [1]) omnia fere quae vim habent tam accurate exposita sint, ut quaestioni sit satis factum, equidem omissa tantum proferam.

Primum Silius verba inusitate cum infinitivo innumerabilibus ut ita dicam locis coniunxit, quorum illi, ni fallor, haec non annotarunt:

novisse: VIII. 495. Hae bellare acies norant.
parare: VI. 480. (Carthago)... iuvenes parat... nostra pensare senecta.
imperare: XIII. 113. scalis transscendere muros Imperat.
subigere: I. 635. populi ferro parere subacti.
timere: VIII. 90. sacrum timuit tetigisse cubile.
gaudere: I. 325. spicula... gaudens acuisse veneno. VI. 235. 621. XIV. 137. 497. XVI. 358. XVII. 573.
indignari: XIII. 159. indignatus... iuvare... nodo iaculum.
contingere: XIII. 796. Felix Aeacida, cui tali contigit ore Gentibus ostendi.
durare: XIII. 22. cuicumque incumbere iusso Durabat vigor.
eripere: XIV. 132. pedibusque evadere letum Eripuit rapidus Mavors.
pacisci: XIV. 100. modo pactus erat socium non cernere.

De infinitivo e substantivis abstractis apto nihil habeo quod addam, de infinitivo adiectivis subiectum perpaucos locos hos:

suetus: XIII. 588. ostia... suetus Briareus recludere palmis. XV. 643.
assuetus: XII. 58. assuetis fulmina ferre Unguibus. XIII. 122.
consuetus: I. 351. librari multa consueta falarica dextra.
inassuetus: III. 236. cingere inassuetum.
primus: IX. 13. hostilique ungere primus Tela cruore.

---

[1]) De usu infinitivi apud Lucanum, Valerium Flaccum, Silium Italicum. Halis Saxonum. 1881.

secundus: VII. 55. nulli quisquam virtute secundus Ducere ter centum Tarpeia ad templa triumphos.

saevus: IV. 562. saevus... videre Maharbal.

facilis: VII. 221. turbari facilem mentem.

Iam ad Iliadem transeuntes parvum numerum verborum perlustremus, quae Iliadis scriptor cum infinitivo coniunxit. Haec fortasse digna sunt memoratu:

hortari: 51. causas hortatur... edere. 138.

parare: 76. parat contra defendere sese. 623.

agere: 558. mens agit imparibus mecum concurrere telis.

suadere: 327. Quis tibi cum saevo contendere suasit Atrida?

comparare: 511. occurrere ferro Comparat.

apparare: 799. incendere classem Apparat.

Alia verba magis solita, ut „cupere, temptare, valere, cessare, conari etc." missa facio. — Infinitivi substantivis aut adiectivis subiuncti nullum in Iliade exemplum deprehendi.

Itaque ut intellegas Silium, poetam hac quoque ratione saepe graecissantem, mirum in modum infinitivum adamasse multumque in usu eius novasse, adeas Schmidtii et Schinkelii libellos. Tum vero, si ingentem numerum exemplorum, quae illi e Punicis congesserunt, in quibus magnam partem licentia ac novitas dicendi cernitur, percensueris atque cum perpaucis illis exemplis, tritis semper fere et pervulgatis, quae ex Iliade depromi possunt, comparaveris, iam diversitas sermonis, quo uterque scriptor utitur, dilucide, opinor, apparebit. Imprimis autem memorabile est Iliadis scriptorem numquam ex adiectivis infinitivum pendentem fecisse, cum nemo Romanus hac in re ex imitatione poetarum Graecorum plus sibi indulserit, quam Silius.

De accusativo cum infinitivo coniuncto qui consuetudinem Silii saepenumero insolitam diligentius cognoscere vult, eum revoco ad Schmidtii libellum. — In epitome vid. 547. Hecubamque vocari „Imperat" et divae placari numina „suadet". 23. reddique patri Chryseida censent pro „reddendam". —

Ut hoc quoque addam, saepe difficillimum est diiudicatu, utrum Silius nudum infinitivum adhibuerit an accusativum cui adiungitur infinitivus, cum pronomen personale crebro simul audiendum sit atque etiam magis pronomen demonstrativum. Sunt

tamen permulti loci, quibus quin pronomen subiecti desit, in dubium revocari nequeat. — Pronomina primae et secundae personae — id quod rarius fit — subaudienda sunt e. g.

me: XI. 558. ne mutatum vanis absistere credat.

nos: I. 636. ne crede emensos levia ob discrimina pontum. III. 114. fixumque relinqui.

te: VI. 605. Tarpeium accedere collem Murisque adspirare veto. IV. 661.

Multo saepius pronomen „se“ intellegendum est: e. g. II. 351. flammis urere gentem Iurabat Phrygiam; cfr. XII. 321. 403. XIII. 542. XV. 675. 820. XIV. 295. etc. — Maxime nimirum pronomen demonstrativum desideratur: eum: II. 430. Spirantem credas certamina anhela movere. Cfr. X. 584. XV. 461. 585. XVI. 221. 353 380. 590. 641. XVII. 583 etc. — eos XVI. 187. — ea (neutr. plur.) X. 439. — etc.

In Iliade pronomen subiecti numquam omissum est.

2. In enuntiatis interrogativis

indirectis indicativus vice coniunctivi fungitur his locis: Pun. II. 348. aspice turmae Quot Libyae certant annos anteire labore. IV. 71. discat, quanto stat celsius arce Herculea vallum. — In Iliade v. 164. dicamus, quot quisque rates ad Pergama duxit.

3. De enuntiatis attributivis.

Nomen, ad quod pronomen relativum refertur, transpositum est in enuntiationem relativam e. g. VIII. 237. nunc dextras mihi quisque atque illa referto, Quae Marte exclusus promittere „magna“ solebas. IX. 276. quaeque arte dolisque Scindent se „turmae“, praedicit spargere bellum = spargere bellum in turmas, quae ... XV. 540. Ni cuncta exsultant, quae latis „agmina“ campis, Uno condiderim tumulo. I. 280. Haud alium vidit tellus, cui ponere finem Non posset mors una „viro“. VI. 416. quo maius numine nobis Tarpeia nec in arce sedet = numen, quo maius ... — Attributum ita traiectum est III. 15. aras onerat donis, quae nuper ab arce Victor fumantis rapuit „semiusta“ Sagunti.

Imprimis commemorandum est „quod“ explicativum, quod nonnumquam a poetis verbis orandi adiungitur: XIII. 463. Quod te per nostri Martis precor aemula facta: Arce ... medicamina.

4. De enuntiatis adverbialibus.

„Ubi“ coniunctio regit coniunctivum XV. 457. ubi suspensi patres, et curia vocem Posceret. Item — id quod rarissime — Silius coniunctivum subiunxit „dum“ coniunctioni ad id significandum, quod eodem tempore fit: XII. 450. sqq. Nuntius interea ... (Hannibalem) fervoribus implet, Dum procul Oebalios amet expugnare nepotes Et primus rostris sulcet navalibus arva ... —

Livium secutus Silius coniunctivum pendentem facit a „donec“ coniunctione, etiamsi quid designatur, quod reapse factum est: e. g. VI. 52. nec satias, donec mandentia linqueret ora Spiritus et plenos rictus mors atra teneret. Cfr. VII. 716. XIII. 28. et saep.

Quod attinet ad enuntiata condicionalia, Silius aliquando loco coniunctivi in enuntiatione primaria indicativum posuit velut: I. 374. obstabatque iacens vallum, ni protenus instent Hinc atque hinc acies media pugnare ruina. X. 131. iraque anhelat, Ni leto det cuncta virum iungatque parenti Corpora et excidat miseros cum stirpe penates. X. 467. Milite non illo quisquam felicius acri Insultarat equo, vel si resupina citato Proiectus dorso ferretur membra vel idem Si nudo staret tergo. —

Participium futuri coniunctum cum enuntiato condicionali saepenumero invenitur: e. g. XVI. 11. vigor hausurus Latium, si cetera Marti Adiumenta forent — et saep.

Graeco more (ἀγαπᾶν, εἰ.) Silius „si“ coniunctionem „satis“ adverbio subiunxit IX. 48. sat, nomina ferre Si discit miles nec frigidus aspicit hostem.

Semper fere in Punicis „quamquam“ coniunctio regit coniunctivum: e. g. II. 101. Eois quamquam certet Gortyna sagittis. Cfr. VIII. 43. XIII, 467. XIV. 64. 493. XVI. 49. etc.

Ex Iliade nihil insoliti afferri potest.

De participio.

De usu participii praecipue videtur memoria dignum esse Silium haud raro participium perfecti passivi loco substantivi abstracti adhibuisse, ut II. 9. cultam referens insigni nomine plebem. I. 652. post aucta pericula. II. 377. et auctorem violati foederis addit. IV. 264. grato plausae cervicis honore. V. 391. conspecti consulis

horror. X. 370. post confecta iussa. XII. 362. post eruta Pergama. XIII. 100. post foedera rupta. XIII. 101. post iura petita. XV. 587. cui maxima gloria cedat Urbis deletae. — etc.

In Iliade cfr. vv. 14. raptae flevit solatia natae. 1004. corpus deflent cum funere raptum. 1015. flent ... amissum ... Hectora.

Tum memorandi sunt hi ablativi absoluti: V. 106. Auditoque ... socias non defore vires. XVI. 184. Audito ... advenisse duces. XII. 508. non exspectato. XIV. 97. pacto, Cederet ut Siculis victor Sidonius oris.

De gerundivo.

Dativus gerundivi finalis legitur: VI. 81. ferendis adversis genitus. XI. 585. portandis habiles gravioribus armis. XIV. 25. cornipedemque citum lituis generasse ferendis. IX. 377. ni decori sat sint pariendo tempora leti. XI. 260. Spectandis urbis tectis templisque serenos Laetus circumfert oculos. XII. 523. relinquunt Tardandis Italis corruptas igne carinas. XV. 213. hora, quam dederat ductor subigendae ad moenia classi. XVI. 195. cum spectandis aestibus undae Venissem. — Participium necessitatis cum activa constructione — quae est structura vetustior — usurpatum est: XI. 559. nunc pacem orandum, nunc improba foedere rupto Arma reponendum et bellum exitiale cavendum. XV. 105. nec bona censendum (scil. est), quae fors infida dedisse Atque eadem rapuisse valet.

Sed finem imponamus quaestionibus grammaticis. — Ut omnia complexus sim, ipse sentio multum abesse; neque tamen singulas res, quae rarae apparent, enucleare in animo habui, sed elocutionis, qua uterque utitur, quasi lineamenta maxime insignia adumbrare. Quod si mihi contigit, ut hoc efficerem, satis habeo, hunc autem alterumve locum praetermisisse non magnopere curo.

Iam illius particulae summam brevi comprehendam. Haec potissimum afferenda esse videntur, cur propter elocutionis diversitatem negemus Silium Italicum eundem esse atque Iliadis scriptorem. Solet igitur ille adiectivorum neutra sive singulari sive

plurali numero posita adhibere praepositionibus vel additis vel omissis [1]), infinitivum perfecti ἀορίστως usurpare pro infinitivo praesentis [2]), genetivum substantivorum subiungere adiectivis substantivorum loco adhibitis[3]), genetivum subicere adiectivis et verbis [4]) itemque dativum adiectivis[5]), infinitivum, plerumque liberrime, pendentem facere ex verbis et substantivis et — id quod premendum est — adiectivis [6]) neque minus accusativum cum infinitivo coniunctum [7]) omisso saepe pronomine subiecti[8]). Atque haec quidem Silii — scilicet si eum cum Iliadis scriptore comparamus — propria sunt.

Porro, si commentationem meam recognoveris atque structuras audaciores et rariores vel magis poetis peculiares examinaveris, ut substantiva abstracta vice concretorum fungentia [9]), adiectiva pro adverbiis posita[10]), ellipsim verbi[11]) usum temporum[12]), casuum[13]), praepositionum [14]), attributi [15]), variasque res, quae singulae vim non habent, universae autem aliqua ex parte valent —, videbis in epitome aut nulla exstare exempla aut perpauca maximeque simpliciora. Id quoque dignum est, quod respiciamus; quod, si talia in Iliade exstant, plerumque haec leguntur in formulis quibusdam loquendi tritis et notis, quae illi aliorum carmina perlegenti in memoria haeserant. Est autem Iliadis scriptor, ut saepius dixi, homo prosae orationis, qui verba sua vulgaria et cotidiana passim flosculis exornavit.

His expositis uniuscuiusque arbitrio permittitur diiudicare, utrum discrepantiae elocutionis, quatenus ad rem grammaticam spectant, „paucae ac leves“ sint, ut Plessis [16]) voluit, qui hac de re atque etiam magis de re metrica nescio an nimis confidenter et temere iudicium fecerit. Sane totam meam ratiocinationem improbabit, qui sibi persuaserit Silium genus dicendi postea plane mutasse. Sed de hac opinione quid sit existimandum, cfr. pag. 86 sq. commentationis meae.

---

[1]) Vid. pag. 10. sq. [2]) pag. 18. sq. [3]) pag 25 sq. [4]) pag. 28. sq. [5]) pag. 25. [6]) pag. 43. [7]) pag. 44. [8]) pag. 45. [9]) pag. 8 sq. [10]) pag. 11. [11]) pag. 15. sq. [12]) pag. 17. sq. [13]) pag. 20. sqq. [14]) pag. 32. sqq. [15]) pag. 37. [16]) l. l. pag. XVI.

B. Quaestiones metricae.

I. De numero spondeorum et dactylorum.

In miscendis dactylis et spondeis quam rationem poetae Romanorum secuti sint, primus quantum scio Drobischius [1]) investigare conatus est, qui ad hanc rem eruendam magnum numerum insigniorum poetarum, imprimis epicorum, diligentius inspexit. Ac Drobischii viam, quippe cum et mihi ut optima probetur, ingredi minime dubitavi; neque tamen in eo, quod vir doctus de Silio [2]) rettulit, putavi mihi acquiescendum esse. Itaque cum ille in 560 versus libri primi disquisiverit, equidem examinavi 9000 versuum — carmen Silianum constat 12 202 versuum — atque 1000 versus Iliadis Latinae. Quid quaestione mea perfecerim, facillime ex hisce tabellis, quas Drobischii signis usus quam potui curiosissime composui, intelleges.

---

[1]) Verhandl. der Kgl. sächs. Ges. d. Wissensch. zu Leipzig. Ph.-hist. Klasse 1866. Bd. XVIII. pag. 75 sqq.

[2]) l. l. pag. 116.

Formae hexa-metrorum.	Il. Lat. 1—1014. 14 vv. adulterini.	Punicorum I. 1—694. II. 1—306.	Punicorum III. 1—714. IV. 1—287. 1 v. spondiazon.	Punicorum V. 1—678. VI. 1—322.	Punicorum VII. 1—750. VIII. 1—250.	Punicorum IX. 1—667. X. 1—343.	Punicorum XI. 1—611. XII. 1—389.	Punicorum XIII. 1—895. XIV. 1—106. 1 v. spondiazon.	Punicorum XV. 1—823. XVI. 1—178. 1 v. spondiazon.	Punicorum XVI. 355—700. XVII. 1—654
ssss.	60. 6 %	94. 9,4%	92. 9,2%	107. 10,7%	104. 10,4%	106. 10,6%	102. 10,2%	80. 8 %	97. 9,7%	106. 10,6%
ssds.	63. 6,3%	82. etc.	87. etc.	94. etc.	89. etc.	99. etc.	87. etc.	73. etc.	67. etc.	91. etc.
sssd.	27. 2,7%	57.	42.	44.	54.	44.	56.	44.	44.	39.
ssdd.	19. 1,9%	32.	29.	37.	40.	33.	28.	30.	34.	22.
sdss.	92. 9,2%	112.	110.	128.	120.	140.	119.	121.	127.	106.
sdds.	47. 4,7%	49.	59.	46.	63.	56.	64.	66.	68.	68.
sdsd.	48. 4,8%	64.	62.	40.	49.	23.	52.	48.	54.	41.
sddd.	17. 1,7%	14.	23.	16.	12.	19.	22.	19.	23.	18.
dddd.	36. 3,6%	18.	19.	13.	12.	12.	15.	19.	11.	21.
ddsd.	67. 6,7%	37.	28.	34.	38.	35.	33.	27.	34.	39.
ddds.	68. 6,8%	46.	38.	43.	44.	41.	54.	50.	57.	58.
ddss.	123. 12,3%	87.	92.	89.	81.	84.	94.	96.	96.	86.
dsdd.	46. 4,6%	33.	37.	30.	24.	25.	28.	39.	25.	32.
dssd.	68. 6,8%	44.	56.	40.	44.	54.	51.	56.	44.	53.
dsds.	79. 7,9%	100.	105.	102.	97.	99.	93.	98.	74.	84.
dsss.	140. 14 %	131.	121.	137.	129.	130.	102.	134.	145.	136.
Summae	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.

Iam ex hac tabella haud difficulter aliae derivari possunt:

Insunt										
in primo pede										
dactyli	627. 62,7%	496. 49,6%	496. 49,6%	488. 48,8%	469. 46,9%	480. 48 %	470. 47 %	519. 51,9%	486. 48,6%	509. 50,9%
spondei	373. etc.	504. etc.	504. etc.	512. etc.	531. etc.	520. etc.	530. etc.	481. etc.	512. etc.	491. etc.
in altero pede										
dactyli	498.	427.	431.	409.	419.	410.	453.	446.	470.	437.
spondei	502.	573.	569.	591.	581.	590.	547.	554.	530.	563.
in tertio pede										
dactyli	375.	374.	397.	381.	381.	384.	391.	394.	359.	394.
spondei	625.	626.	603.	619.	619.	616.	607.	606.	641.	606.
in quarto pede										
dactyli	328.	299.	296.	254.	273.	245.	285.	282.	269.	265.
spondei	672.	701.	704.	746.	727.	755.	715.	718.	731.	735.
Summae	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.	4000. 400.
Summa										
dactylorum	1828. 45,7%	1596. 39,9%	1620. 40,5%	1532. 38,3%	1542. 38,6%	1519. 38 %	1599. 40 %	1641. 41 %	1584. 39,6%	1605. 40 %
spondeorum	2172. 54,3%	2404. 60,1%	2380. 59,5%	2468. 61,7%	2458. 61,4%	2481. 62 %	2401. 60 %	2359. 59 %	2416. 60,4%	2395. 60 %
Summae	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.	4000. 100.
Versus										
dactylici	234. 23,4%	148. 14,8%	145. 14,5%	136. 13,6%	130. 13 %	132. 13,2%	152. 15,2%	154. 15,4%	150. 15 %	168. 16,8%
spondiaci	382. 38,2%	476. etc.	452. etc.	510. etc.	496. etc.	519. etc.	466. etc.	452. etc.	480. etc.	478. etc.
aequi	384. 38,4%	376.	403.	354.	374.	349.	382.	394.	370.	354.
Summae	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.	1000. 100.

Videmus igitur Silium per totum carmen, praeter leves tantum differentias, satis sibi constare in versibus pangendis atque numero spondeorum haud mediocriter Iliadis scriptorem praecedere. Strictim tantum delego ad elegantissimam eorum hexametrorum speciem, in quibus primi duo pedes et quintus dactylis efficiuntur, reliqui spondeis (ddss): quam speciem Iliadis scriptor aliquanto crebrius usurpavit. Maxime vero est dignum memoratu Silium in primo pede hexametri plus spondeorum quam dactylorum posuisse; qua in re cum scriptores qui versu heroico utebantur loco illo dactylum maluerint, ut statim metrum dactylicum indicarent, Silium unus superavit Ennius, Cicero poeta aequavit. Hoc autem Ovidii asseclam, Iliadis scriptorem, vitasse consentaneum est. Iam si universum spondeorum numerum respicis, quamquam, ut apud omnes excepto Ovidio et nescio an Valerio Flacco, ita apud eos, de quibus agimus, spondei maiore parte propendent, tamen inter utrumque aliquantum discriminis statuendum est. Atque ut hanc diversitatem sub aspectum legentium subiciamus, optimum est hic repetere, quem quisque gradum ex Drobischii [1]) ratione obtineat, et iusto loco Iliadis scriptorem inserere. Plurimos spondeos adhibuit Catullus; sequuntur ex ordine; Cicero, Silius, [2]) Ennius. Manilius, Lucretius, Vergilius in Aneide, in Georgicon libris, Iuvenalis, Persius, Claudianus, Horatius, Lucanus simulque aequo fere numero spondeorum Iliadis scriptor, Statius, Valerius Flaccus, Ovidius. Vides igitur, quanto spatio ii de quibus disqutatio est poetae seiuncti sint. Iam eadem fere ratio intercedit, si poetas, ut quisque versus vel dactylicos vel spondiacos adamavit, disponimus.

Quod Doeringius [3]) affirmat Iliadis scriptorem in structura hexametrorum, maxime in miscendis dactylis et spondeis, Vergilii premere vestigia, ut proprio modo fluctuet inter duces duos ac principes aetatis suae, hoc quidem aliquid veri habet, quamquam numero dactylorum Vergilio quoque admodum superior est. Voluntate autem et iudicio Iliadis scriptorem id egisse, ut in ea re ad illum quam proxime accederet, prorsus nego. Immo, cum hoc

[1]) l. l. pag. 135. sq.

[2]) Quapropter non recte Doeringius (progr. pag. 49) posuit neminem Romanum hexametris tot spondeos admiscuisse, quam Silium.

[3]) Progr. pag. 49.

excepto omnino Ovidii prodat imitatorem, in hoc quoque eum sibi delegisset exemplar, si potuisset. Nam etiamsi lingua Latina ad metra dactylica satis apta est, ad quae lingua Graeca multo est facilior, tamen ex ingenio et natura linguae maiorem habet difficultatem dactylicos versus componere quam spondiacos. Ita factum est, ut ea ratione solus fere Ovidius a reliquis discesserit et tam paucos habuerit imitatores; tum autem ex hac, si ita dicere licet, inopia linguae repetendum est, quod inde ab Ennii patris tempore certae locutiones dactylicae in usum venerunt, quas omnes poetae certo loco adhibere assueverunt, imprimis clausulae hexametrorum.

II. De caesuris.

A consuetudine ceterorum poetarum, quorum in carminibus nobilissima caesura est semiquinaria, neque Silium neque Iliadis scriptorem recessisse vix est quod dicam. Post penthemimerim apud utrumque usitatissima caesura est semiseptenaria, cui adest trithemimeris cum fine verbi post tertium trochaeum, cuius exemplum habes hoc:

Aeneadum | patiturque | ferox || Oenotria iura.

Neque multo rarius invenies caesuram, quae huic etiam praecedit elegantia, semiseptenariam cum penthemimeri consociatam, ita tamen, ut post quintam arsim verbum finiatur, post septimum semipedem saepe cum verbo etiam sensus: e. g.

Bellantemque Iovem | cerno. || Venientia facta.

His igitur caesuris frequentissimis cum uterque scriptor longe creberrime atque in universum eadem ratione usus sit, Silius tamen multo saepius admisit semiseptenariam coniunctam cum sola trithemimeri, ita ut non adsit tertia trochaica: e. g.

Ipsa sedet | tandem aeternum || coniuncta Sychaeo.

Quae cum in Iliade Latina legatur d e c i e s q u a t e r[1]) (vv. 61. 108. 139. 208. 490. 564. 655. 708. 755. 776. 778. 787. 826. 940.), in

---

[1]) Miretur fortasse quispiam, quod a Doeringio (dissert. pag. 4) dissentio, qui hanc caesuram in 19 versibus epitomes et 18 versibus Pun. libr. I. inesse voluit. Sed in versu 365. Purpuream vomit ille | animam ||, cum sanguine mixto — neglecta elisione hephthemimeris cum penthemimeri consociata statuenda est, itemque in vv. 731. 777., sola semiquinaria in vv. 660. 775. 792. 984., in

Punicis eam deprehendi 413 locis, idque libri I. 14. locis, II. 25, III. 22, IV. 19, V. 23, VI. 18, VII. 23, VIII. 27. IX. 24, X. 24, XI. 24, XII. 20, XIII. 37, XIV. 25, XV. 40, XVI. 25, XVII. 23. Itaque in universum haec species caesurarum in singulis millibus versuum Silii inest tricies quater; unde efficitur Silium incisiones illas praestantiores paululo minus usurpasse quam Iliadis scriptorem.

Ut iam pergamus in caesuris enumerandis, sequitur hephthemimeris finito verbo in tertio trocheao, ut desit semiternaria: e. g.

Hinc puer invalidique | senes ||, hinc femina ferre.

Et hac quidem uterque satis parce cauteque usus est. Legitur enim in Iliade Latina quinquies, vv. 54. 363. 405. 475. 1059., apud Silium octogies octies, et quidem in libro I. 283. 428. 450. 561. II. 86. 110. 133. 213. 321. 444. 625. III. 95. 590. IV. 46. 207. 422. 437. 523. 804. V. 49. 270. 330. 390. 410. 416. 619. VI. 258. 268. 460. 605. 609. VII. 7. 44. 46. 87. 163. 331. 341. 566. 587. 697. VIII. 500. IX. 16. 42. 453. 567. 639. X. 103. 195. 422. 446. 526. 560. 561. 606. 620. XI. 40. 51. 133. 164. 202. 216. 307. 308. 357. 375. XII. 536. 594. 737. XIII. 68. 297. 439. 590. 691. 852. XIV. 12. 82. 92. 250. 314. 582. XV. 165. XVI. 192. 607. 672. 679. XVII. 373. 623. Silius igitur hanc speciem in mille versibus septies adhibuit.

Sed cum in his duabus incisionibus aliquantum discrepantiae videatur, ita iudicari non potest de quarta specie semiseptenariae, de sola hephthemimeri neque addita trithemimeri neque terminato post tertii dactyli trochaeum verbo: e. g.

altera servitia imbelli || patietur in aevo.

Hanc repperi in Punicis I. 417. 511. II. 191. 227. 314. III. 431. 705. VII. 300. IX. 440. X. 593. XII. 146. 726. XIII. 159. 889. XV. 352. 582. Addendum est, quod compluribus quos commemoravi locis praeter semiseptenariam incisio facta est post secundi dactyli trochaeum, quo non multo melius res se habet.[1]) Itaque cum Silius hanc caesurarum speciem satis diligenter caverit, si ambitum

---

v. 1049. semiseptenaria cum trithemimeri et tertia trochaica coniuncta. — Luc. quoque Mueller, (de r. m. p. L. pag. 202), cuius summa est hac in re auctoritas, deciens quater hanc caesuram Iliadis scriptori tribuit. — Similiter Doeringius in Punicorum libro I. meo quidem iudicio caesuras non recte distinxit.

[1]) Cfr. Luc. Mueller d. r. m. pag. 213.

poematis respicias, Iliadis scriptor semel neglegentior fuit: v. 595. „Non sic setigeri exacuunt || fervoribus iras."

Semel habet Silius speciem quintam, semiseptenariam incisione facta post secundi et tertii dactyli trochaeum: XVII. 127. „Ac sibi quisque, | Videsne? | videsne |: ut in agmine primo" — quem versum repetito oratoria affectione vocabulo eodem veniam habere Luc. Mueller dicit. [1])

Ut iam transeamus ad enarrandas caesuras non legitimas, primum agendum est de tertia trochaica, quae neutri valde probata est. Atque Silius ea semper fere ita usus est, ut simul adsit semiternaria: I. 68. 288. 437; III. 704. IV. 616. 652. V. 429. VI. 168. 652. VIII. 75. 256. 263. IX. 206. X. 308. XII. 166. XIII. 411. XIV. 447. 515. 578. XV. 773. 783. XVI. 293. XVII. 254. 441. Deest semiternaria VI. 460. — Cum hac caesura auxiliaria item in Iliade tertia trochaica adhibita est: vv.

213. et clara | virtute || Polyxenus atque Diores.
240. Amphius | que et Adrastus || et Asius atque Pylaeus.
445. inde premit | Polyidon || Abantaque cuspide forti.

Sed vides omnes tres versus excusari nominibus quae insun propriis, quod idem concedendum est de loco illo Siliano XVII. 441†. — Ceterum Iliadis v. 789. sine dubio habemus primam semiseptenariae speciem: „Penelei | dextra; inde | cadit || Priameia pubes." — non, ut Doeringio [2]) visum est, tertiam trochaicam.

Hexametros caesura legitima carentes Iliadis scriptor admisit nullos; apud Silium duos inveni versus: III. 393. ac Nebrissa Dionyseis conscia thyrsis. V. 497. pars trepidi celso inter tela cacumine pendent.

Sex locis penthemimeris medio in verbo ita usurpata est, ut ultima syllaba hauriatur elisione:

III. 143. Me tantum Carthag|o? et qui sim nesciat omnis.
III. 558. Affatur genitor|em et rumpit maesta querelas.
VIII. 428. Nec coetu levior|e, ubi mille per agmina virgo.
IX. 76. Mox Italis paullat|im adtrito nomine Sulmo.
IX. 505. Sternuntur tellur|e et miles et arma tubaeque.
XVI. 106. Et Libys occubuer|e et amantes Martis Hiberae.

---

[1]) l. l. pag. 201. — [2]) Dissertat. pag. 5.

Attamen nullam offensionem praebet Iliadis v. 455. „Contulerant iactisque inter se cominus hastis.“ — (cfr. vv. 600. 675. 681. 792. 930.), quoniam encliticarum „que ve ne“ finalis sequente vocali revera eximitur; quamobrem tales versus qui plurimi in Punicis occurrunt silentio praetermisi.

Nunc mihi disputandum est de iis hexametris, in quibus caesura per licentiam tmesis fit. Semiquinariam post praepositionem verbi compositi habes:

VIII. 528. Vulturnum, quasque e | vertere silentia Amyclae.
XIV. 631. In morem pecudum ef | fudere cubilibus atris.
XV. 13. si gentem petat in | faustam, inter busta suorum.
XV. 104. Prosequitur labor. Ad | nitendum intrare volenti.
XV. 167. Tellurem procul in | rumpentem in sidera cernunt.
XVI. 42. Imperfecta. Super | contēxere herbida lapsos.

Hephthemimeris cum sola trithemimeri coniuncta iure tmesis efficitur:

VIII. 325. Lentus ama. si qua interea in | vitaverit aura.

In epitome tales caesuras, quandoquidem in eis usurpandis maior apparet licentia atque elegantia versuum minuitur, nusquam reperias.

Iam vero Silius saepenumero proprios semiternariae turbavit numeros[1]) admissa voce dactylica, ut habeamus speciem hanc: . ◡◡ | _ . Cfr. II. 72. Cornipedem ac | stravisse feras. II. 209. Hannibal et | caesam Asbyten. III. 510. Credite vos | summumque Iovem. IV. 776. Edonis ut | Pangaea super. IV. 774. Asperat haec | foedata genas. V. 105. Acrius hoc | accensa ducis. VI. 209. Igneus et | magna audendi. VI. 338. Funditur et | Poena insurgit. VI. 340. Dedecus, o | Gradive tuum. VIII. 286. Consule res | pessumque dari. VIII. 668. cesserit huic | Trebia invicto. X. 335. Destinat, ac | iam claustra manu. X. 440. Ocius en | testare deos. X. 444. Hannibal hic | armatus adest. XI. 114. Fulvius (huic | nam spondebant . . .) XI. 369. postera lux | Phaetontis equos. XII. 353. evolat et | provisa fugae. XII. 418. Barbaricum at | que immane gemens. XII. 476. Colloquium et | promissa petit. XIII. 77. foederis en, | haec testis erit. XIII. 92. avia tunc | longinqua placent. XIII. 99. Dedecus hoc | defende manu.

---

[1]) Luc. Mueller d. r. m. pag. 212.

XIII. 270. hactenus est | vixisse satis. XIII. 572. Aestuet et | gelidam eructans. XIV. 673. Incolere at|que habitare deis. XV. 72. Munere sunt | concessa deum. XV. 233. auxilium at|que excelsa loci. XVI. 156. Pulchrior est | gens nostra fide. XVI. 250. Quaesumus aut | inhonora tuis. XVII. 67. Immemor is | dextraeque datae.

Atque etiam multo vitiosius est id genus trithemimeris, ubi sede principe positus est spondeus. Nihilo setius ne hoc quidem Silius satis crebro adhibere dubitavit. Cfr. II. 280. irae se | valuere, premunt. II. 384. bellum se | gestare sinu. IV. 127. Adsis o | firmesque tuae. IV. 373. Inter se | furibunda movent. V. 191. Horresco, ut | pendente malo. VI. 567. Orando et | vultu interdum. VII. 576. Phoenicum et | Carthago ruens. VIII. 213. omnis iam | placata tibi. VIII. 318. Uni sit | servare nefas. VIII. 529. Fundique et | regnata Lamo. IX. 347. Quanto tunc | adversa feras. XI. 235. fulcire et | revocare paras. XI. 537. vertenda at|que aequanda solo. XII. 13. Vallo se | clausere simul. XIII. 291. Decepta ac | violata Fides. XIII. 450. Quinam te, | qui casus, ait. XVI. 616. Dignum te | fortuna parem.

Denique Silius saepius — qui usus haud ita elegans habetur — si versus caesura semiquinaria in duas partes dissecatur, priorem hexametri partem passus est expleri uno vocabulo, maxime a nominibus propriis derivato. Cfr.: Pygmalioneis I. 21. VI. 532. — Acrisioneis I. 661. — Laomedonteae I. 543. VII. 437. VIII. 172. XIII. 55. XVII. 4. — Laomedontiadum X. 629. — Thermodontiaca II. 80. — Amphitryoniades II. 582. IV. 64. VI. 183. IX. 293. XII. 119. XV. 79. — Arganthoniacos III. 396. — Apenninicolae V. 626. — Polydamanteis XII. 212. — Tauromenitana XIV. 256. — incustoditum V. 41. VIII. 113. XV. 245. 333. — incessebatur V. 444. — imperturbata XV. 58. — indelibata XV. 271. — indispensato XVI. 341.

Contra Iliadis scriptor has de forma semiternariae ac priore parte hexametri dimidiati leges nusquam migravit. Idcirco hae quoque testimonio sunt, quanto elegantiores — huc enim omnia verba quae facio de re metrica redeunt — versus Iliadis scriptor composuerit quam Silius Italicus.

III. De nonnullis observationibus ad singulos pedes pertinentibus.

In prima hexametri sede Silium plus solito spondeos adamasse supra demonstravi; sed in hoc quoque multum inter eum atque plurimos alios poetas interest, quod in Punicis persaepe primus pes vocabulo spondiaco constat. Legi enim tale initium apud Silium 682 locis sive in singulis millibus versuum fere quinquagies septies, apud Iliadis autem scriptorem quadragies ter. Tres tamen versus huiusmodi, 297. 601. 844., haud dubie adulterini, e contextu verborum eiciendi sunt.

Etiamsi igitur Iliadis scriptor in initiis hexametrorum voces spondiacas aliquanto rarius admisit, tamen libens concedo eum quoque elegantiam illam, quae ceteris in rebus semper fere in carmine eius cernitur, in hoc minus respexisse. Attamen non concedam, siquis ut fortasse Doeringius dicet id iam proprium fuisse Silii adulescentis, apud seniorem accrevisse; nam ne alii quidem, qui ceteroquin versus leves perfacileque fluentes panxerunt, asperitatem illam initii satis devitarunt. Velut Lucanus, accuratissimus versuum faciendorum artifex, in libr. I. II. 1—330 i. e. in 1025 versibus vocabulum spondiacum in prima sede adhibuit quadragies quater.

Iam vero cum poetae Romani voces spondiacas et dactylicas a secundo pede excluserint, et Silius et Iliadis scriptor hoc vitium omnino refugerunt. Excipiuntur tamen apud permultos poetas quaedam vocabula, in quibus „inter" praepositio frequentissimo usu admittitur[1]). Quod cum ita sit, scriptores quoque, de quibus agimus, hac condicione legem laeserunt. Semel enim Iliadis scriptor versum fecit talem:

v. 562. Post haec inter se posito certamine pugnae.

Ter Silius:

I. 450. avulsum inter tela globo et post terga revinctum.

II. 321. stant prima inter signa senes letumque lacessunt.

XII. 536. haud dignam inter tanta moram nec amoena retentant.

Atque versus ille Iliadis etiam magis habet excusationem propterea, quod, nt iam Froehdius dixit, „inter" et „se" quasi in unius vocabuli corpus coeunt.

---

[1]) Cfr. Froehde, De hexametro Latino. Phil. XI. pag. 535.

Tum Silius, quippe qui omnino magis alienus sit ab elegantia metri, semel, nisi quid me fugit, pedem secundum voce dactylica contineri passus est:

V. 664. Telaque corporaque et non fausto Marte cruentas.

Sane aliquo modo vitium mitigatur elisione.

Eandem legem cum in tertio pede poetae tam severe observaverint, ut post Ennium et Lucilium exempla, exceptis binis Lucretii et Horatii, plane ignota sint[1], haec duo Siliana adicio:

V. 497. Pars trepidi celso inter tela cacumine pendet.

VIII. 196. Signa pedum, dumque inter se mirantur ab alto.

De quarto pede hexametri idem valet praeceptum ac de primo: minus placet vocabulum spondiacum in eo collocari. Hoc autem loco, ut verum fateamur, concedendum est Iliadis scriptorem — id quod perraro vel potius alioquin nusquam accidit — severitate a Silio superari; nam cum apud hunc quarta sedes 419 locis sive fere tricies quinquies in mille versibus spondiaco occupata sit, Iliadis scriptor quadraginta sex versus eiusmodi fecit. Exstat igitur aliquid dissimilitudinis, quamquam hac in re Iliadis scriptor in vituperationem incurrit.

In pede quinto uterque eam legem semel violavit, quae vetat thesim pedis quinti vocabulo pyrrhichiaco effici praecedente vocabulo anapaestico: cfr. Il. v. 986 moveat tua Peleus. Pun. I. 71. patrius furor. Ortus. — De Baehrensii coniectura Il. 1031. mitis semel oro, quid sit iudicandum, iam Doeringius[2] exposuit.

IV. De clausulis hexametrorum.

Usitatissimam illam clausularum formam, cuius species est haec:

–⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ | –⏑

utrique scriptori maxime placuisse nihil est, quod miremur, quoniam hanc omnes poetae Latini ceteris praetulerunt. Idem dicendum est de altera post hanc gratissima clausula, quae est:

–⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑ | ⏑ –⏑

Quamobrem in harum usum distinctius inquirere supervacaneum est.

---

[1]) Luc. Mueller, d. r. m. pag. 217. [2]) dissertat. pag. 3.

Tertiam quae sequitur formam legitimam, cuius species est haec:

–⏑⏑ –⏑⏑ – ⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ | – | ⏑

in Punicis inveni I. 598. 653. II. 295. 576. III. 200. 425. IV. 780. VI. 437. 518. 588. VII. 35. 236. VIII. 317. IX. 26. 35. X. 70. 286. 314. 501. XI. 324. 529. 550. XII. 261. XIII. 242. 655. XV. 103. 362. 647. XVI. 88. 409. 539. XVII. 162. 221. 379 = tricies quater, in Iliade vv. 103. 262. 285.

Quarta forma, cuius species est haec:

–⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ | – | ⏑⏑ | –⏑

in Punicis legitur his locis: I. 48. 60. 342. 400. 429. 536. II. 171. 332. III. 573. 586. 605. 619. IV. 96. 239. 368. 565. V. 100. 154. 155. 312. 524. VI. 645. VII. 82. 114. 200. 205. 269. VIII. 169. 214. 301. IX. 128. 151. 291. 306. 335. 529. 600. X. 421. XI. 93. 169. 177. 318. 320. 356. XII. 175. 291. 513. XIII. 280. 818. XIV. 235. 550. 620. XV. 89. 144. 444. 446. 649. 713. 732. XVI. 47. 51. 393. 664. XVII. 187. 284. 549. 612. = sexagies septies, in Iliade vv. 84. 88. 244. 273. 295. 407. 491. 523. 611. 651. 976. 1021.. = duodecies.

Quinta forma quae est haec:

–⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑ ¦ ⏑ | –⏑

quam in epitome sexagies sexies legi, simili ratione apud Silium adhibita est. Denique formae sextae, cuius species est haec:

–⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ –⏑⏑ | – | ⏑ | ⏑ –⏑

quae in Iliade nulla est, tres tantum loci in Punicis exstant: cum elisione XI. 169. huc, age, adeste; praeterea XIV. 601. et per anhela. XVII. 30. si qua pudica.

Nunc iam consideremus formas non legitimas, quarum videlicet, cum uterque scriptor, alter magis altero, versificator sit in re metrica exercitatus, multas non invenies. In epitome vid. v. 168. Cloniusque, et v. 750. Iphidamanta, quae sane clausulae ut nomina propria excusantur.

Ea lex, quae vetat ultimam pedis sexti syllabam constare vocabulo monosyllabo praecedente vocabulo plus quam monosyllabo, a Silio bis neglecta est: XIII. 862. deum gens. XVI. 614. agunt nos. — Praeterea Silius vocabula tetrasyllaba, ex parte nomina pro-

pria, in fine hexametrorum posuit haec: I. 152. hominumque; III. 64. V. 22. XVII. 79. Hymenaeo; XIV. 515. Arethusa. — XIII. 188. superesse; XV. 171. habitumque; XV. 728. residentem. — Vocabula pentesyllaba deprehendi duo: I. 203. aethereasque. IV. 160. quadrupedantum. — Alioquin Silius normam non migravit [1]).

Ut iam ad exitum huius quaestionis perveniamus, liquet et Silium et Iliadis scriptorem communem omnium poetarum illius temporis consuetudinem retinuisse — nam pauca illa quae in Punicis insunt vitiosa in poenate tanti ambitus nullo numero nec loco sunt —; unde efficitur ad disceptationem nostram solvendam ex hexametrorum clausulis nihil colligi posse.

Hoc autem loco, ubi de clausulis agimus, etiamsi a proposito paulo longius declinabo, non desero occasioni mihi datae Doeringio obviam eundi, qui satis magno numero clausularum utrique carmini communium congesto [2]) ex hac re argumentum sumi posse nobis studet persuadere, quo, ut suam amplectamur sententiam, commoveamur. In programmatis enim pag. 39. mirum esse putavit apud nullum eorum poetarum, qui post Augusti tempus floruerunt, tam magnum numerum clausularum reperiri, quae eaedem in epitome leguntur, quam in Punicis. Sed quod affirmavit se huius rei respectu omnes poetas inspexisse, Statii quidem opera non ea qua decet diligentia videtur perlegisse. Nihil autem valet hoc argumentum Doeringii, si unus exstat scriptor vel aequalis vel posterior, qui totidem praebet communes clausulas. Sed quid multa? Ipse videas has e Statii carminibus petitas:

1) Silv. I. 2. 104. pectora pennis. (Il. 420.)
2) „ III. 5. 79. aequora vectae. (Il. 192.)
3) „ II. 1. 33. solatia natis. (Il. 14. s. natae.)
4) „ III. 5. 53. pectora planctus. (Il. 1053. p. plangunt.)
5) „ V. 1. 241. sidera caelo. (Il. 111., ut vult Doeringius pro „mundo", quod editiones exhibent.)
6) „ V. 3. 72. Ach. I. 119. Theb. II. 314. X. 496. limine primo. (Il. 762.)
7) „ V. 5. 46. Theb. X. 349. funera maestus. (Il. 838. 978. f. maerent.)
8) „ V. 4. 13. Theb. XI. 311. XII. 83. 318. corpore toto. (Il. 367.)

[1]) Vide etiam hos sex versus spondiacos: II. 314. IV. 225. 742. VIII. 430. 621. XV. 773.

[2]) Cfr. progr. pag. 44 sq.

9) Silv. V. 3. 256. vulnere tristes. (Il. 370. 450. 584. v. tristi.)
10) " V. 1. 242. litore puppes. (Il. 220. litora p.)
11) " III. 1. 90. complectitur ulnis. (Il. 571. ampl. u.)
12) Achill. I. 301. agmina vidit. (Il. 500.)
13) " I. 11. 611. Theb. III. 467. tempora vittis. (Il. 13.)
14) " I. 34. mille carinis. (Il. 801.)
15) " I. 78. rector aquarum. (Il. 899.)
16) " I. 85. Theb. VI. 165. IX. 634. Silv. II. 1. 97. funera matrum. (Il. 150. funere m.)
17) " I. 451. ille Pelasgas. (Il. 10. ille Pelasgum.)
18) " I. 500. Theb. II. 476. Calydonius heros. (Il. 399. 454.)
19) " I. 878. pectore vestes. (Il. 1018.)
20) " I. 564. durus Achilles. (Il. 988.)
21) " I. 588. regnator Olympi. (Il. 345.)
22) " I. 704. foedere iuncto. (Il. 269.)
23) " I. 394. arma parantur. (Il. 155. a. parari.)
24) " I. 187. Silv. IV. 4. 53. V. 5. 31. pollice chordas. (Il. 882.)
25) " I. 728. tuas pervenit ad aures. (Il. 328.)
26) Theb. VII. 111. XII. 768. vocesque manusque. (Il. 79. voce manuque.)[1]
27) " XI. 271. patiemur inulti. (Il. 82. patiatur inultum.)
28) " VI. 101. caput extulit antro. (Il. 158. c. e. undis.)
29) " VIII. 467. agmina Graium. (Il. 305.)
30) " II. 457. moribundus ...... pulses. (Il. 376. m. ...... pulsat.)
31) " X. 540. exercitus arma. (Il. 386.)
32) " IV. 325. spicula cornu. (Il. 439.)
33) " VIII. 468. cominus ictu. (Il. 517.)
34) " XII. 677. post terga revinctas. (Il. 540. p. t. revinctis.)
35) " XI. 532. dentibus uncis. (Il. 596.)
36) " VIII. 76. fulminis ignes. (Il. 599. fulguris i.)
37) " II. 132. excitus ira. (Il. 659. concitus ira.)
38) " X. 409. miserabile corpus. (Il. 840.)
39) " XI. 68. Aetnaeos ...... ignes. (Il. 857.)
40) " IV. 231. fata parentes. (Il. 944.)
41) " IX. 47. corpus amici. (Il. 1004.)
42) " VII. 77. ab aethere portas. (Il. 125. ab aethere porto.)
43) " VII. 698. aufertur in hostes. (Il. 504.)
44) " X. 326. II. 171. Silv. II. 4. 5. tempora noctis. (Il. 15.)
45) " I. 614. IX. 542. X. 774. mucrone corusco. (Il. 296.)
46) e I. 497. X. 336. Silv. III. 4. 99. tendens ad sidera palmas. (Il. 1027.)
47) " II. 567. VII. 311. IX. 309. 674. XI. 506. 639. pectora ferro. (Il. 834.)
48) " II. 676. IV. 594. sanguine multo. (Il. 365. ex coniectura Luc. Muelleri, quam Doeringius probat)

[1]) Ex coniectura Higtii.

49) Theb. III. 326. pulvere crines. (Il. 323. 845.)
50) „ III. 378. optima coniunx. (Il. 98. optime c.)
51) „ V. 64. noctis in umbra. (Il. 700.)
52) „ V. 244. ordine pando. (Il. 132. o. pandit.)
53) „ V. 335. aequora prora. (Il. 181. 219. aeq. proris.)
54) „ VI. 18. IV. 159. in proelia vires. (Il. 102. 702.)
55) „ VI. 110. bella gerebant. IV. 115. b. gerantur. (Il. 265. b. geremus.)
56) „ VIII. 295. castra tumultu. (Il. 662.)
57) „ VIII. 71. more ferarum. (Il. 990.)
58) „ IX. 678. lapsa per auras. (Il. 96. 464.)
59) „ X. 571. animosque ministrant. (Il. 772. animumque m.)
60) „ X. 889. auctor Apollo. (Il. 165.)
61) „ I. 512. 536. Silv. III. 1. 184. IV. 8. 37. altaribus ignes. (Il. 34.)
62) „ IX. 365. Silv. V. 5. 15. funera nati. (Il. 1036.)
63) „ II. 87. sanguine fuso. (Il. 515. s. fundit.)
64) „ IX. 241. pectore thorax. (Il. 229.)
65) „ IX. 564. reddimus ignes. (Il. 692. redditus ignis.)
66) „ XI. 156. rebus in artis. (Il. 968.)
67) „ XI. 171. ad bella ruenti. (Il. 749. a. b. ruentem.)
68) „ XII. 27. oscula figunt. (Il. 848. o. figit.)
69) „ XII. 420. numine divum. (Il. 52. 722. 922. numina d.)
70) „ IX. 158. corpora Graium. (Il. 1048.)
71) „ V. 100. Pallados arces. (Il. 548. Palladis a.)
72) „ VII. 642. ense cruento. (Il. 492.)
73) „ IX. 683. caede superbum. (Il. 421.)
74) „ XI. 99. cominus enses. (Il. 965.)
75) „ XII. 34. funera ducant. (Il. 1047. f. ducit.)
76) „ XII. 764. misimus umbris. (Il. 431. demittit a. u.)
77) „ XII. 446. mediae ... in ignes. (Il. 1058. medios ... i. i.)
78) „ II. 580. pectore tela. (Il. 364.)
79) „ X. 126. mitissime divum. (Il. 114. lenissime d.)
80) „ VI. 886. concurrere ferro. (Il. 510. occurrere ferro.)
81) Achill. I. 956. immotus Achilles. (Il. 1043. motus A.)
82) „ I. 914. obvius ire. (Il. 933. obvius iret.)
83) Theb. X. 713. proelia misce. (Il. 485. p. miscet.)

Has clausulas annotasse satis habeo, quia numerum earum, quas Doeringius e Punicis petivit, aequavi. — Hunc autem de clausulis locum pluribus explicavi propterea, quod tota haec quaestio latius patet; neque solum ea, quae Doeringius ex illis conclusit, imminuisse mihi videor, sed etiam hoc pro certo sumi posse arbitror: si universae partes hexametrorum dinumerarentur, quibus Iliadis scriptor et Statius congruunt, fore ut Statius aeque ac Silius maximam

locutionum similitudinum cum scriptore Iliadis communem haberet. Quin etiam, si copiam locorum similium respicimus, quos Doeringius ex aliis poetis epicis collegit, si Iliadem cum operibus eorum compararemus, conicere audeo nos ad eundem exitum perventuros esse[1]).

De hiatu, de productis propter duplicem consonam insequentem aut arsis vi syllabis, de synizesi, de syncope, de systole et diastole fusius exponere supersedeo, cum perpaucis rebus huc spectantibus, quae in utroque carmine insunt, momentum ad quaestionem decernendam non afferatur.

V. De elisionibus.

Venio iam ad eam rei metricae particulam, qua imprimis accommodate ad persuadendum evincatur scriptores carminum quae comparamus diversos esse, ad elisiones; neque enim ulla alia re clarius ostenditur, quale cuiusque poetae in re metrica sit studium atque qualis natura, quam illis. Quod cum ita sit, vel maxime operam et laborem collocavi in statuendis elisionum numero atque ratione; atque ut hic alterve locus aciem oculorum effugerit, cum hos interdum satietas rerum tam minutarum ceperit, peropportune mihi accidit, quod hoc nihil interest. Nam cum eis quas repperi elisionibus iam quaestio certissima ratione solvatur, si loci nonnulli a me fortasse neglecti accederent, ex eis, quae conclusi, tamen nihil mutaretur. Quamquam perpauca esse omissa merito affirmare me posse arbitror.

Inveni igitur in Punicis elisiones 5224, in Iliade 244, idque elisiones longarum syllabarum 804, in Iliade 22, in „m“ exeuntium — quae elisio durior est, quam si finalis sit brevis — in Punicis 1331, in Iliade 48, correptarum in Punicis 3089, in Iliade 174.

Sed quoniam non est copia primo conspectu ex his numeris cognoscendi, quantum adsit diversitatis, commodissimum visum est iterum tabellam conficere, qua facillime perspicias, quot elisiones Silius in singulis millibus, Iliadis scriptor in 1070 versibus admiserit.

---

[1]) Cfr. pag. 5 sq.

Elisit igitur, si duodecimam partem numerorum ad carmen Silianum pertinentium computamus,

	syllabas.	longas.	in „m“ exeuntes.	correptas.
Silius in singulis millibus versuum.	435	67	111	257
Iliadis scriptor in 1070 versibus.	244	22	48	174

Porro, cum notum sit minus asperas esse elisiones in thesi quam in arsi, lenissimas vero elisiones „que ve ne“ encliticarum, hac quoque ex parte utrumque carmen excussi. Eliduntur autem syllabae in thesi apud Silium 2249 locis vel in mille versibus 187 locis, apud Iliadis scriptorem 151 locis; „que ve ne“ encliticae elisionem patiuntur in Punicis 1217 locis vel in mille versibus 101, in Iliade 128. Primo igitur aspectu videtur Silius in illa re prior esse, sed cave, ne erres. Silius enim, cum omnino plures admiserit elisiones, nimirum pro numero omnium elisionum plures syllabas in thesi — tamen etiamtum rarius „que ve ne“ — elisit; quamobrem veram comparationem habebis, si examinaveris, quoties apud utrumque scriptorem, velut in centum syllabis, illae elisiones exstent. Silius autem in centum elisionibus syllabas in thesi quadragies ter elisit, Iliadis scriptor sexagies bis; in 100 elisionibus syllabarum brevium „que ve ne“ encliticae elisionem passae sunt apud illum quadragies, apud hunc septuagies ter, ut perspicuum sit Iliadis scriptorem in omni elisionum genere multo faciliorem et tolerabiliorem esse quam Silium.

Neque alienum a re videtur esse diligentius quaerere, quot uterque elisiones in uno eodemque versu admiserit; nam hac quoque re, quid sit utriusque proprium, apparebit. — Bis Silius versum, ut ita dicam, deturpavit quattuor elisionibus:

IX. 245. Hortandoque iterum atque iterum insatiabilis urget.

XI. 63. Ultorem ante oculos atque ora adstare repulsae.

Semel Iliadis scriptor v. 245 — e coniectura Baehrensii — sibi concessit tres syllabas in uno versu elidere; sed mihi videtur

potius Doeringius [1]) veram lectionem restituisse, qui scripsit: „Hippothousque Acamasque ferox et Pirous una“.

Contra Silius illa licentia usus est his quinquaginta sex locis: I. 93. 100. 670. II. 63. 173. 293. 352. III. 77. 392. IV. 193. V. 306. 325. VI. 208. 387. 407. VII. 358. 403. 579. 744. VIII. 124. 398. IX. 30. 35. 403. X. 134. 220. 339. 364. 393. XI. 14. 94. 141. 319. 359. 575. 588. XII. 58. 150. 234. 655. XIII. 297, 578. 583. XIV. 193. 195. 255. 441. 460. XV. 461. 649. XVI. 71. 236. 420. 690. XVII. 476. 645. Ac perlustranti singulos versus permulti occurrent, qui asperrimis elisionibus laborant.

In eodem versu Iliadis scriptor duas easque maximam partem minus duras elisiones adhibuit his viginti tribus [2]) locis: 67. 85. 124. 149. 156. 246. 254. 352. 355. 369. 473. [622.] 643. 664. 711. 726. 736. 784. 796. 800. 876. 947. 953. 1058.

At contra Silius multo liberior fuit: equidem legi versus duabus elisionibus praeditos 693, ita ut in mille versibus Silius fere quinquagies octies duas in uno versu terminationes eliserit. — Omnes hi numeri ipsi loquuntur, ut nihil amplius addendum sit. Iam subtiliores elisionum leges, quatenus ad propositum meum spectant, enarraturus sum.

Ac primum quidem cum raro fiat elisio, si vocalibus elidendis praecedat vocalis, rarissime autem, si paenultima habeat vocalem longam vel diphthongum, Iliadis scriptor hoc genere prorsus abstinuit. In Punicis tamen eliditur finalis praecedente longa vel diphthongo locis his: VIII. 412. Therapnaeo a sanguine. XIV. 26. Hyblaeo accedere. XIV. 180. Ephyraea ad moenia. XIV. 72. Pelopea ad regna. XIV. 226. Galatea immiscuit. XVI. 194. Erythia ad litora. XII. 514. eia incute. — Melius elisio finalis ferri potest, quamquam commodius vitatur, praecedente brevi paenultima, quod in Iliade aliquoties, multo saepius in Punicis fit.

Iam vero Iliadis scriptor finales Graecas ne elideret, quamquam epitome Graecis nominibus propriis referta est, diligenter cavit, minus hac in re Silius curiosus fuit, qui ter vocales Graecas produc-

[1]) Dissert. pag. 26.

[2]) Omisi v. 98; neque enim eius elisionis qua „est“ vel „es“ cum vocali iunguntur aut in Punicis aut in Iliade umquam rationem habui.

tas elisit: VIII. 534. Parthenope ac Poeno. XIV. 251. Melite et litus. XIV. 269. Drepane atque; semel correptam. VII. 586. Styga et aeternas.

Vocabulum monosyllabum in „m“ exiens et monosyllabum breve Iliadis scriptor singulis locis elisit: 294. tum adversus (in thesi pedis quarti); 38. si qua ut luerem,... commisi (in arsi pedis secundi). —

Monosyllaba longa et in „m“ desinentia apud Silium elisionem passa sunt septuagies: III. 96. me improperae. VII. 252. me opponite. VIII. 121. me impleverat. VIII. 329. me unica. XII. 501. me experti. XVI. 248. me aequora. XVI. 651. me omnia. XVII. 40. me absolve. — XVII. 351. tu exercita. — III. 121. te ulla. V. 562. te occumbere. V. 596. te optima. IX. 215. te ad proelia. XIII. 519. te oro. XIII. 624. te ut nobis. XV. 114. te in moenia. XVI. 92. te armorum. XVI. 219. te Ausonia. XVI. 626. te, ut nuper. XVI. 639. te in Libyam. XVII. 324. te exstimulem. — I. 426. se insperata. II. 20. se addere. II. 173. se ex oculis. VIII. 54. se imponit. VIII. 87. se imponere. VIII. 635. se involvere. X. 626. se agmine. XIII. 224. se adtollere. XIII. 736. se implevit. XIV. 481. se adlevat. XVII. 246. se adtollens. — I. 684. qui exacta. X. 613. qui accedere. XV. 582. qui ad proelia. XVI. 160. quae in Libyam. I. 638. quem insana. — I. 257. cum exusta. VII. 234. cum optabile. XII. 289. cum ad bella. XV. 731. cum amisimus. — VII. 479. dum immobile. VII. 494. dum arcana. VIII. 124. dum abigo. IX. 166. dum amens. XII. 505. dum omnes. XII. 651. dum enses. XIV. 192. dum incerta. XIV. 353. dum Italum. — V. 186. iam ultra. VI. 270. VIII. 163. iam amplius. IX. 132. iam unice. XII. 323. iam intrata. XIV. 444. iam in limine. XVII. 220. iam Hesperia. — VIII. 317. si affligere. IX. 113. si evadere. X. 44. si occumbat. X. 601. si ad proelia. XI. 344. si admoveris. XII. 51. si absisteret. XII. 56. si ad culmina. — VI. 442. sum enixa. XV. 59. sum Anchisae. — IX. 111. sim equidem. — V. 410. ne impune. — XI. 116. tum erat. XVI. 179. tum Africa. — XIII. 188. tam erectos.

Quater Silius syllabas medias in brevibus elisit: VIII. 124. dum abigo. IX. 111. sim equidem. XI. 116. tum erat. XIV. 353. dum Italum. — Deterrimae vero sunt elisiones hae: I. 684. qui

exacta reportent. — et IX. 111. sim equidem, quia non licet elidi numerum pluralem pronominis relativi et coniunctivum verbi substantivi. Quamobrem Luc. Mueller[1]) negat scripturam: „sim" iure Silio tribuendum esse pro eo quod verum sit: „sum equidem"; tamen ne hanc mutationem in verba scriptoris recipiamus, eo prohibemur, quod etiam versibus sequentibus coniunctivi „fatear" et „detur" positi sunt. Itaque hoc loco Silium neglegentiorem fuisse nobis iudicandum est.

Ut iam videamus, quibus sedibus hexametri haec monosyllaba elisa sint, proximum est, ut Rupertii opinationem reiciam, qui XIV. 656. tale quid Silio ascribere ausus est:

„quem adscire ex Ephyre: fulvo certaverit auro."

Nam cum poetae Romani aetate Augusti atque etiam magis posteriores quam diligentissime caverint[2]), ne elisio fiat in arsi primi pedis, ne statim in principio metrum obscuretur, Silium quoque, etiamsi inter elegantissimos poetas non sit referendus, a tali insuavitate abhorruisse apparet. Equidem Lefeburium secutus ita scripserim: „non aera iuvabat Quaesisse ex Ephyre; fulvo certaverit auro Vestis..."

Monosyllaba in thesi pedis primi elisa sunt decies: XIII. 519. VII. 494. VIII. 124. IX. 166. V. 186. I. 638. IX. 111. XII. 505. XI. 116. XIV. 353; in arsi pedis secundi decies: III. 96. XII. 501. XVI. 626. II. 173. XVII. 246. XVII. 220. XV. 59. X. 44. XVI. 160. XIII. 188; in thesi pedis secundi ter: XII. 651. XIV. 192. VI. 442.; in arsi pedis tertii quinquies: XIII. 624. XVI. 219. 639. 92. XVII. 324; in thesi pedis tertii semel: XVII. 351; in arsi pedis quarti ter: I. 426. VIII. 163. XVI. 179; in thesi pedis quarti vicies octies: VII. 252. VIII. 121. XVII. 40. V. 562. IX. 215. XV. 114. VIII. 54. 87. 635. XIII. 224. 736. I. 257. VII. 234. XII. 289. XV. 731. VII. 479. XII. 323. XIV. 444. VIII. 317. IX. 113. X. 601. XI. 344. XII. 51. 56. I. 684. X. 613. XV. 582. V. 410; in arsi pedis quinti decies: XVI. 248. 651. III. 121. V. 596. II. 20. X. 626. XIV. 481. VIII. 329. IX. 132. VI. 270.

---

[1]) l. l. pag. 284.
[2]) Luc. Mueller, l. l. pag. 292.

Ut hoc quoque addam, cum in Iliade 535us quisque versus elisione monosyllabi insignis sit, Punicorum 174us quisque hexameter tali elisione affectus est.

Iambica vocabula elidere Iliadis scriptor dubitavit; at minime Silius hoc vitio abstinuit. Reperiuntur enim elisa iambica octogies ter haec: I. 40. viro atque; similiter I. 651. III. 188. IV. 405. V. 306. VI. 380. 382. VII. 234. X. 29. 308. XII. 239. 392. XIII. 820. XV. 681. — I. 288. Noto advertere; sim. XIV. 12. — I. 450. globo et post; sim. XIII. 493. — II. 227. manu interdum; sim. VIII. 75. 496. X. 236. XI. 174. XV. 431. XVI. 15. — III. 289. loqui et sedare. — III. 387. pati aut; sim. XIV. 90. — III. 528. iugo atque; sim. IV. 66. — IV. 135. deo et fatorum; sim. XV. 674. — IV. 180. equi et geminum; sim. XV. 725. — IV. 539. fero et truncata; sim. XVI. 451. — V. 298. humo haud. — VI. 160. solo informi; sim. X. 462. — VI. 168. loci explorare; sim. VI. 460. XIII. 550. XV. 661. — VI. 210. rapi et spectatum. — VI. 652. sinu indefensa. — VII. 190. mero et quercu. — VII. 327. toro et notum; sim. II. 628. — VII. 353. malo et quassantibus. — VIII. 263. morae increpitare. — IX. 29. iube aut. — IX. 216. voco ex. — X. 598. metu ite. — X. 623. minae et conversa. — XI. 360. meā eripiam. — XI. 454. die ac mundum. — XII. 268. fugae immodicus; sim. XVII. 138. — XII. 340. Iovi et delubrum; sim. XIV. 569. — XII. 499. XIII. 852. paro et remeare. — XIV. 660. acu aut. — XV. 455. foro auditus. — XV. 490. rĕtro et superari. — XV. 579. queri atque. — XVI. 255. fide et populi. — XVI. 294. pari atque. — XVI. 422. premi atque. — XVI. 628. domi et trinis. — XVII. 40. veni et facili. — XVII. 251. poli atque. — XVII. 254. freto imposuere. — Praeterea apte adiunguntur hi genetivi numeri pluralis: XII. 592. virûm armatis; cfr. II. 337. XIII. 478. 755. XIV. 183. XVII. 602. — V. 80. deûm, et socium. VI. 561. IX. 440. XIV. 617. XVII. 501.

Videmus sane Silium elisione vocum iambicarum neque usum esse in syllabis brevibus neque acutis — excipiuntur quaedam particulae inflexibiles —; sed tamen apertum est, quantopere hac quoque ratione distet ab elegantia scriptoris Iliadis.

Vocabula cretica elisa apud Silium non deprehendi, nedum

apud illum. — Quod Doeringius[1]) creticum habere sibi videtur IX. 415. „Curio et", in errore versatur; nam semper Silius nomina propria qualia sunt ‚Scipio Curio' ut dactylica adhibuit. Cfr. Scipiŏ IV. 52. 117. 230. 698. VI. 671. VIII. 546. XIII. 236. 386. 792. 831. etc. etc. Curiŏ VIII. 425. X. 209. 404. Karthalŏ I. 406. XV. 450. Tarracŏ III. 369. Castulŏ III. 98. 391. Corbulŏ XIV. 417. Omnino autem, ut hoc simul adiungam, Silius nomina propria in „o" cadentia correpta littera finali usurpavit, velut Magŏ III. 240. V. 531. IX. 229. X. 387. etc. Sucrŏ III. 372. Catŏ VII. 691. etc. Varrŏ VIII. 311. 666. etc. Pisŏ VIII. 463. etc. Nerŏ VIII. 413. etc. Vascŏ X. 15. Milŏ XIII. 365.

Longam vocalem sequente brevi Iliadis scriptor elisit semel: 733. praedā humeros; nam duo illa exempla, quae afferre solent, 587. ergo ubi. 643. ultro etiam, non quadrant, quandoquidem ab Ovidio eiusque imitatoribus, quorum in numero Iliadis scriptor est, in his vocibus „o" finalis breviatur. [2]) Ceterum cum Iliadis scriptor elisionem illam alia sede esse noluerit nisi primo pede versus, Baehrensii coniecturam v. 151. factam: „remoramini Achivi", ut quinti pedis thesis elisione longae corrumperetur, nostro iure contemnemus.

Silium autem longam cum correpta vicies octies copulavit, scilicet vicies in pede primo: II. 77. ergō[3]) habitu. IV. 93. ergō aderant. IV. 718. ergō agitur; it. VIII. 65. — XIII. 621. XVI. 600. ergō ubi. XIV. 10. ergō age. VIII. 263. ergō alacer. XIII. 636. quandō aperire. XVI. 288. quandō ita. XVI. 208. quare age. III. 530. sese aperit. II. 494. cernō[4]) equidem. III. 115. cedō equidem. II. 324.

---

[1]) dissert. pag. 7.

[2]) Luc. Mueller, l. l. pag. 337.

[3]) Silius Ovidio se non adiunxit, sed omnibus locis, ubi non eliditur, finalem produxit: vid. ergō VI. 134. XI. 567. XVI. 217. — quandō X. 69. XIII. 503. XIV. 469. — adeō. I. 20. III. 379. VII. 88. VIII. 12. X. 487. XIII. 656. 798. XI. 89. 226. 561. 578. — quaesō VIII. 41. VI. 588. IX. 138. XII. 678. XIV. 168. 487. XVII. 348. (tamen quaesŏ XV. 744.) — retrō X. 17. 73. XVII. 617 et saep. — ultrō XI. 515. XII. 165. XIV. 293. —

[4]) Item „o" finalis semper longa est in verbis: cfr. petō VI. 448. VIII. 154. — parō IV. 822. XV. 160. — noscō IV. 126. IX. 421. — vetō III. 181. VII. 407. — horrescō III. 125. — videō V. 172. — metuō III. 120. XI. 574.

vidi animos. II. 340. vidi ego. V. 594. cernō, ait. VI. 246. Ibo alacer. XVII. 71. virgo [1]) aderat. XV. 627. turbo equitum —, ter in pede secundo: IX. 223. Massylae acies. X. 275. levabo humeris. XVI. 635. Descendenti avide —, quinquies in pede quarto: XII. 393. Messapi ab origine. XIII. 86. longaevi ab origine. XV. 22. virtuti inimica. XVI. 369. Troiana ab origine. XVII. 233. remeabo Anienis. — Ex his locis vel maxime ii displicent, ubi syllabae longae elisae sunt in sede secunda.

Longas finales Iliadis scriptor in arsi et acuta syllaba numquam elisit; nam unus ille locus, v. 826 „celeri excipit", quem Luc. Mueller [2]) annotavit, propter discrepantiam lectionum, quas codices praebent, admodum incertus est. Neque dubium mihi est, quin emendatione opus sit. [3])

Atque cum ille hac elisione parum eleganti prorsus abstinuisse putandus sit, nunc iam respicias exempla, quae e poemate Siliano erui. Sunt fere haec quinquaginta tria: I. 26. Iuno ante. I. 200. ultra obsidet. I. 662. contra arma. II. 20. se addere. II. 208. toto ore. II. 362. contra ibimus. II. 561. vidi ipsa. II. 576. contra

— cernō VI. 82. XIII. 505. XVII. 309. — orō VI. 502. VII. 404. X. 282. XI. 334. 571. XIII. 519. XV. 639. — iurō VIII. 105. 106. X. 438. — abigō VIII. 124. — poscō VIII. 266. IX. 200. XI. 353. XVI. 84. XVII. 362. — prospiciō VIII. 304. — canō IX. 61. — absolvō IX. 150. — reddō X. 119. — vocō X. 344. — sileō X. 496. — iubeō XII. 72. — fugiō XIII. 16. — repetō XIII. 668. — moneō XV. 38. XVII. 28. — accipiō XVII. 563. — renuō XVII. 461. — vehō XV. 162. — mandō XV. 803. — Excipitur solum verbum nuntiandi: nuntiŏ VIII. 237. XI. 504., quia producta finali (–⏑ -) metro dactylico accommodari non potest. — Finalis imminuta est XV. 118. dabŏ, contra II. 30. aderō.

[1]) De quantitate huius finalis certa lex tradi nequit, quippe quae in Punicis modo sit producta, modo correpta. Productionem in his substantivis repperi: nemō IV. 279. — ratiō VIII. 330. — regiō VII. 279. — seditiō XI. 46. — virgō XIII. 781. 833. IX. 526. — Aniō X. 363. XII. 540. — Carthagō I. 3. II. 326. VI. 344. 479. XI. 425. XIII. 100. XV. 193. 750. XVI. 664. XVII. 350. — Correptio invenitur: formidŏ V. 476. — turbŏ VI. 322. — leŏ X. 242. — mucrŏ XIII. 11. — origŏ XIV. 94. — Carthagŏ II. 303. III. 368. VI. 89. 410. 582. 712. VII. 576. VIII. 676. X. 658. XI. 97. 129. 531. XV. 383. XVI. 92. 162. 684. XVII. 174. 186. 287. — Iunŏ XVII. 598. (ceteroquin per totum carmen mensuram spondei habet.)

[2]) L. Mueller, d. r. m. pag. 289.

[3]) Vide Plessisium ad. l. l.

aspera; it. IV. 35. VI. 359. — III. 121. te ulla. III. 690. prisco inde. IV. 357. uteri inter. V. 497. celso inter. V. 596. te optima. VI. 536. placido ore. VIII. 72. sese ore. VIII. 75. manu intra. VIII. 329. me unica. VIII. 647. sese extulit. IX. 89. paullo ante. IX. 343. uno ore. X. 308. viri inter. X. 364. densi ante. X. 430. sese arduus. X. 598. metu ite. X. 626. se agmine. XI. 107. moneo ocius. XI. 284. tanto agmine. XII. 500. exscindi ante. XII. 664. sese aggere. XII. 676. contra arma. XII. 704. Iuno, inquit. XII. 739. sese abstulit. XIII. 610. XIV. 352. contra ardua. XIII. 740. contra omnia. XIV. 169. multo optimus. XIV. 208. sese affluit. XIV. 460. dextrā inde. XIV. 481. sese adlevat. XIV. 610. sese aggere. XV. 140. ferri inter. XV. 469. gladio inter. XV. 536. sese intulit. XV. 778. audito ante. XVI. 248. me aequore. XVI. 510. sese aequore. XVI. 586. medio incita. XVI. 651. me omnia. XVI. 661. circa aequora. XVI. 665. Hannibali ecce. XVII. 493. late inter.

Forte temere accidit, ut rursus quinquaginta tres locos legerim, quibus syllaba longa eliditur in arsi „atque“ particulae, quos, ne intolerabilis fiam in laudandis exemplis, indicare supersedeo.

Praeterea minime vacare offensione elisionem longarum, maxime iambicarum, in arsi factam, si vocabulum insequens in tertia vel quarta ab initio syllaba habeat accentum, docet Luc. Mueller.[1]) Quamobrem Iliadis scriptorem nihil eiusmodi admisisse quid mirum? Contra Silius in iambicis haec praebet exempla: IV. 168. loci explaráre. VI. 460. loci aspernátus. VIII. 263. morae increpitáre. I. 288. Noto advertére. XVII. 254. freto imposuére. XVII. 503. retro exanimáta. XIII. 755. virûm insatiábilis. Alia sunt haec: I. 12. bello excidiúmque. I. 295. urbi imperitáre. I. 411. diro exarámre. I. 426. se insperáta. II. 256. fesso assultátque. III. 31. sacro implevére. IV. 717. dextrā impellénte. V. 19. lentā incaluísse. X. 592. multi assensére. VII. 44. Herculei implevére. VII. 280. miserae exactúra. VII. 401. vallo assultáre. VIII. 110. dextrā imposuísset. VIII. 212. curā aegrescénte. VIII. 290. nigro adlatráverat. VIII. 479. Romae imperitáre. VIII. 589. nullo attendénte. IX. 496. irae exitiábilis. X. 595. ratio approperémus. XI. 202. audita asperitáte. XI. 228. clausi occuluére. XI. 308. potando exarmáta. XI.

[1]) Summarium rei metricae poetarum Latinorum ... Petropoli 1878. pag. 66.

471. citharā eliciénte. XI. 479. subito emicuére. XI. 605. opum adiuménta. XII. 189. viso armorúmque. XII. 234. Paulli emersísset. XIII. 68. Priamidae intremuére. XIII. 297. exitio ascendítque. XIV. 36. terrae imposuére. XIV. 582. subito importúna. XV. 319. regno accepísse. XVI. 12. pravā obtrectánte. XVI. 340. longe increpitáre. XVI. 352. campo indignátus. XVI. 481. nervo exturbánte. XVII. 94. clare exspatiántur. XVII. 265. egregiae occubuére.

Deinde cum displiceat syllabas in „m“ desinentes sequente brevi elidere, consideremus, quam uterque normam in eo servaverit. Atque Iliadis scriptor bis sibi indulsit: v. 123. curarum operumque. v. 602. tandem animis. (De versu 493 „Graiorum acies“ vide pag. 77.) — At Silius hoc modo voces elisit centies sexies decies: I. 17. 29. 122. 420. 440. 692. II. 102. 355. 362. 697. III. 45. 77. 145. 638. 666. IV. 94. 239. 560. V. 151. VI. 33. 164. 303. 387. 407. 690. VII. 96. 200. 310. 346. 403. VIII. 37. 48. 73. 124. 274. 328. 475. IX. 30. 35. 106. 111. 138. 202. 207. 300. 346. 379. 530. X. 58. 99. 312. 396. 411. XI. 20. 88. 116. 312. 395. 502. 544. XII. 68. 96. 472. 475. 489. 540. 568. 633. 664. XIII. 18. 66. 130. 163. 357. 372. 376. 439. 465. 503. 634. 666. XIV. 85. 240. 335. 353. 459. 462. 512. 600. 611. 632. 678. XV. 73. 98. 133. 237. 549. 580. 691. 693. 702. XVI. 18. 101. 148. 180. 186. 642. 649. 687. 690. XVII. 33. 109. 175. 509. 517. 527.

In elidendis dactylicis Iliadis scriptor ea se astrinxit lege, ut veritus sit vocabula huiusmodi aut in „m“ aut in „a“ vel „o“ exeuntia elidere; neque enim assentiar Baehrensio, qui duorum versuum vexatissimorum pede quinto has lectiones dedit: v. 430. funera Atrides. v. 599. fulgura et ignes. Ut autem omittam v. 430. „Atrides“ in verba scriptoris non venisse nisi coniectura, quamquam comparata Homeri Iliade (V. 50) viri docti hanc scripturam assecuti sunt — Luc. Mueller et Plessisius servaverunt id quod in codicibus legimus: „laetus“ —, versus 599. et proximi qui antecedunt et insequuntur tam misere et corruptelis et glossematis depravati sunt, ut nihil certi iudicari possit. Equidem cum Weytinghio totum versum eicere malim; si vero eum retinebimus, perfacilis emendatio praesto est. [1])

[1]) vid. Plessis. ad l. l.

Comparemus autem Silianum carmen. Voces dactylicas in „m" cadentes Silius ter elisit; in primo pede VIII. 475. Alsium et. IX. 379. limitem, agit, in secundo pede XIV. 459. sanguinem, ait. — Vocabula autem dactylica, quae exitum in „a" vel „o" habent, elisit centies tricies semel, idque octogies octies in prima sede: I. 96. 103. 130. 254. 485. 593. II. 381. 464. III. 48. 351. 579. IV. 336. 624. 813. V. 209. VI. 117. 333. 385. 555. 681. 710. VII. 194. 358. 620. 642. VIII. 438. 455. 458. 477. 508. IX. 225. 255. 415. 432. 507. X. 74. 133. 211. 378. 419. XI. 289. 336. XII. 2. 32. 156. 183. 216. 381. 416. 428. 608. XIII. 20. 31. 37. 218. 346. 437. 476. 756. XIV. 258. 311. 337. XV. 23. 338. 399. 505. 521. 682. 744. 784. XVI. 31. 43. 309. 470. 495. 692. XVII. 58. 98. 141. 145. 147. 243. 245. 252. 327. 492. 528. 630; quater in quarta sede: VII. 733. XIII. 387. 575. XVI. 216. tricies novies in quinta sede: II. 416. 625. III. 38. VI. 340. 377. 420. VII. 249. VIII. 88. IX. 72. 272. 627. X. 317. 518. 578. XI. 30. 141. 337. 450. 551. XII. 213. 259. 679. XIII. 99. 211. 217. XIV. 575. XV. 51. 497. 744. XVI. 66. 446. 483. 542. 569. 605. 678. XVII. 206. 261. 364.

Tum Iliadis scriptor, quam probavit normam in vitanda vocum dactylicarum elisione, eam tenuit ferme in pyrrhichiacis; nam ter [1]) tantum vidi elisum vocabulum pyrrhichiacum: 641. neque ille. 870. cavă et. 454. manum Aeneas. — Contra Silius similem severitatem non servavit: pyrrhichiaca, quae in „m" excurrunt, elisa sunt haec octogies sexies: I. 68. V. 424. 534. VII. 653. X. 75. 505. 566. XII. 683. 726. virum. — I. 260. VI. 95. VII. 170. sitim. — I. 262. IV. 195. V. 383. X. 280. XIII. 178. equum. — I. 331. X. 518. fugam. — I. 417. VI. 693. XI. 291. Iovem. — I. 437. Pholum. — I. 562. VI. 591. XII. 166. XIII. 159. XIV. 404. 441. opem. — I. 659. III. 566. IX. 81. larem. — II. 111. Bagam. — II. 180. XI. 46. 57. 590. XII. 332. 435. 719. XIII. 136. 369. XV. 123. enim. — II. 380. deum. — II. 668. XVI. 121. comam. — III. 31. locum. III. 77. XII. 548. gravem. — III. 515. pedem. — III. 661. IV. 395. XII. 742. vicem. — III. 669. novum. — IV. 95. gradum. —

[1]) v. 598. Baehrensii coniectura „fera ora" vel ob rationes metricas improbanda est; neque enim licet tales elisiones, etiamsi una (v. 870.) tradita est, coniectura contextui verborum inserere.

IV. 196. viam. — IV. 616. necem. — IV. 706. VII. 300. levem. — VI. 406. VIII. 136. X. 408. XI. 267. XIV. 8. diem. — VII. 41. iugum. — VII. 358. boum. — VII. 392. dapem. — VII. 572. fretum. — VIII. 103. XIII. 297. pyram. — VIII. 256. XIII. 585. malum. — VIII. 545. modum. — IX. 104. 150. X. 422. manum. — XI. 605. XV. 409. opum. — XII. 276. feram. — XII. 536. moram. — XIII. 57. deam. — XIII. 428. humum. XIII. 815. torum. — XV. 15. ducum. — XV. 588. patrum. — XV. 783. ducem. —

Voces pyrrhichiacas in „a" exeuntes elisit quantum invenerim viginti septem has: I. 638. VIII. 133. freta. — III. 138. IV. 777. VII. 274. VIII. 390. XI. 464. XVII. 22. iuga. — V. 111. sata. — II. 99. XVII. 208. fera. — III. 261. Zama. — III. 331. sita. — IX. 473. Dea. — XI. 172. XVII. 601. vada. — XIII. 153. mora. — XIII. 703. loca. — XIV. 644. fora. — VII. 160. ea. — VII. 586. Styga. — XVI. 611. nova. — X. 215. XV. 820. mala. — XVI. 76. toga. — XVI. 118. fuga. — XVI. 141. tua. — Atque ex his etiam maiori sunt offensioni ea vocabula, quae cum brevi iugantur: XVII. 208. fera et abscedens. III. 261. Zama et uberior. IX. 473. Dea et Oenotris. XIII. 703. loca amoena. XV. 820. mala et inferias. XVI. 76. toga et armiferi. VII. 586. Styga et inferias. — Rursum ex his septem elisionibus aliquanto sunt foediores eae quae in alia sede factae sunt atque in prima: in altera XV. 820. XVI. 76; in quarta XIII. 703.

Ut iam breviter agam de pyrrhichiacis in „o" desinentibus, satis erit affirmasse, primum, saepius elisa esse vocabula illa vulgari usu trita: „modo" et „ego" [1]) — locos accuratius annotare nil attinet —, tum nomina propria, velut in primo pede: XII. 483. hinc Nero et hinc. XV. 794. Nero et intorquens, in altero: XV. 448. Maro et incestum.

Denique, cum Iliadis scriptor elisione pyrrhichiacorum omnino fere abstinuerit, nescio an operae pretium sit commemorare Silium haud raro etiam pyrrhichiaca in „e" vel „i" exeuntia elisisse; etiamsi enim nulla lex talem collisionem adhiberi vetat, tamen ad demonstrandam scriptorum de quibus disputatio est diversitatem ea re aliquid confertur. Saepissime igitur imminuta sunt „ubi",

[1]) Semel „ego" positum est producta finali: XVII. 357.

„mihi", „tibi", „sibi" — quae numquam producta finali vice iambicorum funguntur — saepe „age", praeterea XIV. 449. XVI. 14. ope. XVII. 516. fore. IV. 321. vice. I. 335. pice. XI. 84. Iove. XV. 259. bove. III. 26. XV. 641. dare. VII. 635. prece.

Priusquam meae de elisionibus quaestioni finem imponam, cum permagni referat, qua in parte hexametri elisiones fiant, hac ratione carmina inter se componamus.

Numquam Silium elisionem in prima arsi admisisse supra docui, excepto tamen uno versu eoque hypermetro: XVII. 399.

„Sub tanta cunctis vi telorumque virorumque
In ducibus stabat spes..."

Semel praeterea solus Silius Vergilium (Aen. IX. 57. 440.) imitatatus in ultima sede vocabulum elisit: IX. 35. „Pandam egomet propere portas; ruite ocius atque hunc."

Iam vero elisionem longae, cum valde sit iniucunda in secunda thesi, Iliadis scriptor ab hac sede omnino arcuit; nam quod Baehrensius initium versus 841. legi vult sic: „hic Pelidae aures...", ut iam identidem intelleximus coniecturas viri docti propter laesam artem metricam non recipiendas esse, ita hoc quoque loco minime eum audiemus. Immo legendum esse censeo cum Kootenio:

„Hic ut Pelidae devenerat horror ad aures."

Illius elisionis exempla in Punicis inveniuntur haec: IX. 28. Tradant immo hosti. IX. 223. Et Massylae acies. X. 275. Ipse levabo humeris. XVI. 209. Ac mea quando affert. XVI. 635. Descendenti avide.

Porro elisionem syllabae mediae, quamquam poetae eam non eadem severitate ab illa parte versus excluserunt, Iliadis scriptor prorsus vitavit, Silius autem non refugit his triginta duobus locis: I. 122. ac fugientem animam. I. 420. tum ductorem avido. I. 477. inter solem auro. I. 692. qui ductorem adeant. II. 362. singultantem animam. III. 378. ad Vettonum alas. IV. 239. et divisum humeris. VI. 407. atque ea postquam habitu. VI. 442. et patria, sum enixa. VII. 403. respectantem adeo. VII. 538. discere, quinam esset. IX. 30. Sed vos, quorum oculos. IX. 184. Non verborum, inquit. IX. 497. Qui se postquam Aetnae. X. 312. Hic Picentum acies. X. 396. In tellurem oculis. X. 411. Aut portarum

aditus. XI. 88. Intentantem oculis. XI. 580. Ignorantem aures. XII. 427. Defendentum armis. XII. 540. Ad genitorem Anio. XII. 651. Continet. Haud dum enses. XIII. 163. At non idem animus. XIII. 372. Te maiorem animam. XIII. 376. Bellatorem alacer. XIV. 192. Interea, dum incerta. XIV. 459. Hammon sanguinem, ait. XIV. 632. Illaudatam animam. XIV. 678. Nec turbatum animi. XV. 14. Decertandum hosti. XVI. 18. Et castrorum opibus. XVII. 139. Adnitentem armis.

In arsi pedis tertii Iliadis scriptor vocabula elisit quinquies (vv. 85. 595. 642. 795. 969.), contra Silius septingenties quinquagies ter sive in mille versibus fere sexagies ter, et quidem quater Iliadis scriptor ita, ut penthemimeris sit, Silius in 528 versibus, semel ille (595) ita, ut obtineat hephthemimeris, Silius in 235 versibus. Ut hoc quoque addam, elisiones longarum apud Silium numeravi in tertia arsi 217 (in Iliade duas: vv. 595. 642.), in „m" exeuntium 234 (in Iliade unam: v. 795.), ut in Punicis amplius dimidium omnium 753 elisionum in asperiore genere sit.

In thesi tertii pedis Iliadis scriptor decies admisit elisionem correptarum (156. 365. 455. 591. 600. 675. 681. 792. 806. 930.), numquam longae vel in „m" desinentis. Exstat sane in omnibus libris editionibusque exemplum elisae mediae, v. 493. „Deficiunt Graiorum acies, Phryges acrius instant." Sed cum omnino Iliadis scriptor bis tantum mediam sequente brevi eliserit: v. 123. in thesi pedis quarti et v. 602. in thesi pedis primi, in illa autem sede hac elisione prorsus abstinuerit, nullo pacto a me impetrare possum, ut hoc loco, auctoritatem librorum quamquam consentientium secutus, inelegantiorem illam synizesim elegantissimo versificatori inculcari sinam, praesertim cum lenissima medicina et usitatior efficiatur caesura et offensio illa removeatur. Etenim meo iudicio emendandum est: „Deficiunt acies Graium..." Mihi quidem minime probabile est eum scriptorem, qui omnem fere in elidendo asperitatem acriter caveret, vitium tam facili modo vitandum non fugisse.

Contra Silius in tertia thesi vocabula elisit 289 locis sive vicies quater in mille versibus, idque longas has: I. 169. At Poeni succensi ira turbataque luctu. XVII. 351. Quam pro Cadmea tu exercita gente tulisti. — in „m" cadentes decies novies: I. 381. loricam inter. II. 235. primam urbem. II. 576. XVI. 62.

telum ingens. II. 697. terrarum animae. III. 329. dudum annos. III. 444. quaesitum annos. III. 558. genitorem et. VII. 509. iussurum enses. VIII. 73. defixam oculos. IX. 76. paullatim attrito. X. 58. maiorem animam. X. 487. nequidquam ausi. XI. 312. oneratum epulis. XIV. 353. ductorem astu. XV. 133. cunctorum animi. XV. 417. primum orsi. XV. 580. restantem animam. XV. 693. coeptantem Arabum. —

In arsi pedis quinti, quamquam hac in sede maior adest libertas elidendi, tamen Iliadis scriptor severior fuit. Elisit enim tredecim syllabas, longas nullas, mediam semel (v. 866.), decies „que“ particulam (vv. 85. 119. 165. 246. 369. 394. 622. 726. 848. 1056.), praeterea 535. petere, 940. fugere.

Eodem loco apud Silium elisionem passae sunt syllabae 293 sive fere viginti quinque in mille versibus, et quidem longae 31: I. 662. II. 20. 362. 561. 576. III. 121. 690. IV. 35. V. 596. VI. 359. 536. VIII. 72. 329. X. 224. 430. XII. 664. 676. 739. XIII. 610. 740. XIV. 169. 352. 481. 610. XV. 536. XVI. 248. 510. 586. 651. 661. 665. — in „m“ desinentes 32: II. 180. 190. 459. III. 163. IV. 647. V. 331. VI. 125. 270. 689. VII. 744. IX. 132. 382. X. 473. XI. 494. XII. 72. 435. 719. XIII. 491. 531. XV. 92. 151. 488. 628. 665. XVI. 346. 389. 695. XVII. 180. 331. 337. 346. 382.

Elisionis longae inde ab arsi quinti pedis factae apud neutrum exstat exemplum, correptarum in Iliade sex (vv. 101. 113. 818. 863. 1028. 1058.), apud Silium 117 sive fere decem in mille versibus.

Elisionis in sexti pedis arsi factae apud illum unum legi exemplum: 641. neque ille; apud hunc decem: I. 70. Saturniaque arva. VI. 317. sine ira. VI. 568. ubi aures. VIII. 18. sine ulla. IX. 6. modo acres. XII. 373. pallidaque intus. XV. 583. ubi arma. XVI. 268. sine ullo. XVI. 623. sine armis. XVII. 264. ubi illae.

Haec quidem hactenus! — Videmus enim in Iliade non solum multo parciorem esse usum elisionum, sed etiam omnes licentias, quarum Silius uberem copiam praebet, aut omnino vitatas esse — id quod plerumque fit — aut perpauca eiusmodi inesse exempla. Qui autem admodum adulescens versus fecerit perpolitos omnibusque

fere numeris absolutos atque perfectos, eum seniorem duriusculos multoque horridiores rythmos non detestatum esse nullo modo adduci possum ut credam. Ceterum cum Doeringius non potuerit hoc non affirmare, ne totam suam ratiocinationem funditus everteret, pluribus verbis contra eum mihi disputandum est.

Ac primum quidem commemoro omnes, qui Doeringii de re metrica commentationem perlegerint, minime intellecturos esse, quanto hexametri scriptoris Iliadis castigatiores sint quam Silii, quoniam ille non aequum numerum versuum Silianorum (1000 vv.) cum Iliade comparavit, sed singulos tantum libros (I. IX. XVII.) in quaestionem vocavit; quo haud dubie fieri potest, ut hic alterve, quamquam scriptores inter se dissentire videt, Doeringio astipuletur, cum veras differentias non sentiat.

Quod Doeringius opposuit licentiam, quam Silius in Punicis sibi indulsit, excusandam esse, quippe cum hoc carmen multo maiore ambitu esset, quam epitome: constat eum etiam magnum temporis spatium ad poema elaborandum atque limandum sibi sumpsisse, ut equidem negem Silium ea praecepta, quae antea diligenter observaverit, postea neglexisse. Haec autem ei iam non satis distincte in memoria haesisse — quod Doeringius designare videtur [1]) — non probabile est, immo aliquo modo ridicule dictum. Alii enim poetae ut Ovidius, qui iuvenes versiculos omni arte nitidos scripserunt, etiam aetate corroborata non multum a priore suavitate recesserunt. Sed si cum Doeringio in opinione essemus Silium adulescentem elegantiores versus composuisse, postea autem, cum diu se non exercuisset, de elegantia remisisse, consequens esset eum in Punicis gradatim in arte metrica profecisse. Tamen a primo ad extremum secum consentit; neque enim fides habenda est Doeringio [2]), qui contendit — scilicet ut putemus Silium in Punicis argumentum maiore cum diligentia curasse quam formam orationis — in ultimis libris deteriores hexametros legi quam in primis: neque in illis numerus spondeorum maior est, ut e tabellis meis [3]) perspici licet, neque numero et asperitate elisionum differentia statui potest, quae ad rem pertineat. Conferantur haec: in lib. I. II. (= vv. 1401.) sunt elisiones 594, in lib. XVI. XVII.

---

[1]) diss. pag. 10. lin. 12. [2]) Ibid. pag. 10. [3]) Pag. 50 sq.

(= vv. 1354.) elisiones 641, et quidem longarum in illis 104, in his 113, in „m“ exeuntium in illis 179, in his 138, correptarum in illis 311, in his 390. — Sed hunc in modum numeri per totum carmen diversi sunt.

Iam vero quam in extrema de re metrica disputatione affert excusationem, qua significat ne Vergilium quidem in Aeneide componenda eisdem legibus severis oboedivisse, quibus in Georgicon libris conficiendis, ne hac quidem multum iuvamur. Primum enim Aeneis, ut ipse dicit, ultimam Vergilii limam experta non est, in Punicis autem nulla insunt indicia, quibus doceamur quosdam libros minore quam ceteros cura expolitos esse; nam etsi poeta materiem uberiorem contraxit, in rebus metricis semper sibi constitit. Tum inter Iliadem et Punica tanta est diversitas, ut ea ne eo quidem, quod Punica multo longiore tempore interiecto conscripta sint, satis explicari possit. Neque vero credibile est Silium per triginta annos poesim non tractasse; semper certe ei, quamvis negotiis publicis distentus esset, aliquid temporis superfuit, quo — ut mos saeculi erat — Musis vacaret.

Etiamsi autem concederemus omnibus Doeringii excusationibus, quas refellere studui, aliquantulum momenti tribui posse, hoc unum pernego ac semper pernegabo, si Silius antea ad summum fere pervectus esset, futurum fuisse, ut ars eius tantopere in peius mutaretur.

Sed quid opus est plura? neque enim, cui commentatione mea non persuaserim, eum nunc his verbis ad meam sententiam adduci posse spero. Mihi quidem persuasissimum est Iliadem Latinam Silio Italico non esse vindicandam; id profecto aequi iudices libenter profitebuntur ad opinionem adversariorum confirmandam vera argumenta adhuc non allata esse. Quod autem unum scriptoris Iliadis nomen consentit cum cognomine Silii, hoc argumentum existimari nequit; nam si res certis causis extra dubitationem posita esset, nomine illo etiam confirmaretur, sed ut nunc se res habet, consensus ille nominum casui tribuendus videtur.

Appendix.

Quoniam in priore commentationis nostrae particula rem grammaticam absolvimus, ne quid intactum relinqueremus, sententiae autem nostrae etiam maiorem fidem adderemus, necesse erat speciem oratoriam, qua poema Silianum praeditum est, conferre cum siccitate orationis, quae naturae scriptoris Iliadis consentanea est. Sed quamquam ab hac quaestione ubertate materiae desistere cogor, nonnullas res, quae plurimum praebeant, quod ad comparationem illustre atque insigne sit, pluribus verbis explanabo. Maxime igitur ad id, quod agimus, videtur accommodatum esse paulo copiosius disputare

De abundantia

ne dicam de inflato genere dicendi et fucato nitore orationis Silianae; nam hac ex re discrimen elocutionis, qua uterque utitur, vel clarissime apparebit. Sed ad hoc demonstrandum me plura exempla afferre opus est.

Solet Silius unam sententiam duobus vel pluribus verbis exprimere, ita tamen nonnumquam, ut talis variatio ferri possit: e. g. I. 496. propior vicino lumine fulsit. I. 423. (aper) hirto Horrescit saetis dorso. I. 357. sulcatum secat aera. V. 205. tristem maerenti solatur pectine luctum. IV. 668. obscurae... caligine nubis. V. 549. Collapsaque... membra... subita cecidere ruina. VI. 463. redemptum pensari = redimi. VI. 355. unca... curvati pondera ferri. IX. 99. condit membra occultata. XII. 443. tulit portatas carinas. XIII. 106. coniunctas adstringere... trabes. XV. 523. spernor contempta. XVI. 273. ducet agens. XVII. 189. Eversam exscindere Romam — etc.

Iam multo magis intolerabiles sunt hi loci: I. 253. Torquentem... tela Iovem permixtaque nimbis Fulmina et excussos ventorum flatibus ignes. II. 158. Centum angues idem Lernaeaque monstra gerebat In clipeo et sectis geminam serpentibus hydram. II. 343. vidi cum robore

pendens Hesperiam cruce sublimis spectarat ab alta. II. 627. Sic thalami fugit omnis amor dulcesque marito Effluxere tori et subiere oblivia taedae. II. 555. Haec bello vacuos et saevo turbine Martis Lugebat thalamos. VI. 208. Utque erat in pugnas et Martem et proelia et hostem Igneus... VII. 228. nullum clade nova claraeque fragore ruinae Insignem fecisse locum. XII. 213. Troianaque semina et ortus Atque Antenorea sese de stirpe ferebat. XII. 166. opem auxiliumque ferebat. XIV. 151. Servitium facile et dominantis mollia iussa. XIII. 17. nisi luce serena Nescire ac liquida Mavortem agitare sub aethra. XII. 620. agmen aquarum Turbine confusum piceo et nigrante procella. I. 35. iterum instaurata capessens Arma remolitur. II. 681. iacet nullo discrimine passim...permixto funere turba. IV. 740. pubem Protenus...praeceps rapit. V. 532. properantia signa Citato raptabant cursu. VIII. 9. iterumque et rursus. IX. 92. dum sorte vicissim Alternat...excubias. XV. 401. Carthaginis...Per subitum raptae (= raptim captae) pernix victoria. XV. 621. curvatas sinuosis flexibus amnis Obliquat ripas. V. 36. atrae noctis amictu Squalebat pressum picea inter nubila coelum. XVI. 145. vana...Incertae mentis levitas et mobile pectus. III. 150. Thybris tibi serviet omnis Iliacaeque nurus et dives Dardanus auri: = Italia. IV. 169. dum stimulas cornu atque in proelia mentes Accendis renovasque viros ad vulnera cantu. — etc.

Sed quis sustineat sermonem hunc in modum exaggeratum? Cfr. I 458. ruit ocius amens Lymphato cursu. II. 248. Pernici velox cursu rapit incita membra Et celeri fugiens perlustrat moenia planta. VII. 135. Nunc nocturna parat caecae celantibus umbris Furta viae. VIII. 130. Tum rapido praeceps cursu resolutaque crinem Evasit propere in pyram. IX. 152. non verba vicesve Alloquio vocemve refert. X. 17. Abscessere retro pavidique in terga relatos Abduxere gradus. XV. 208. Progreditur celeratque vias et corripit agmen Pernici rapidum cursu camposque fatigat. IV. 749. Plana natant putrique gelu liquentibus undis Invia limosa restagnant arva palude = planities paludosa erat. VIII. 600. Quique gravi remo, limosis segniter undis Lenta paludosae proscindunt stagna Ravennae. XI. 453. Namque chaos caecam quondam sine sidere molem Non surgente die ac mundum sine luce canebat. XVII. 90. furtum armorum tutantibus umbris Ac tacita spargit celata incendia nocte. Cfr. I. 581. sq. IV. 99. sp. VII. 12. sq. 339. sq. 615. sq. VIII. 48. sq. IX. 242. sq. X. 418. sq. XI. 475. sq. etc.

Qui loci, quamquam plurimi ad taedium usque tumidi atque putidi sunt, etiam superantur his: IV. 82. sqq. Caeruleas Ticinus aquas et stagna vadoso Perspicuus servat turbari nescia fundo Ac nitidum viridi lente trahit amne liquorem. IV. 719. sqq. (exercitus agitur) Lydorum

in populos sedemque ab origine prisci Sacratam Corythi iunctosque a sanguine avorum Maeonios Italis permixta stirpe colonos = in Etruscos. VII. 16. sqq. . . . . qui regna labentia Troiae et fluxas Latii res maiorumque labores, Qui Carmentis opes et regna Evandria servas = Italiam. Cfr. I. 530—532. II. 617—619. III. 46—48. 306—309. IV. 315—320. 362—364. V. 25—28. 412—415. VI. 521—523. VII. 143—145. IX. 239—241. 282—286. 354—356. 508—510. XII. 1—4. 130—132. XIII. 563—565. XIV. 613—618. XVII. 292—294. etc. — Maximam vero in variandis verbis artem poeta adhibuit III. 45—60.

Sed cum apertum sit Silium hunc lusum locutionum valde in deliciis habuisse, Iliadis scriptor varietatem assequi aut noluit aut — id quod veri similius est — non potuit. Nam excepto versu 708. „Abdiderunt occultantes sua corpora furtim“, ubi scilicet ad versum explendum aliquanto uberius locutus est, non solum in singulis versibus summam sectatur siccitatem, sed etiam nullo repetitionis effugiendae studio formulas atque epitheta frequentavit. Languent autem versus iterum ac saepius dicti vel versuum partes, ut ab hac potissimum causa molestissima illa ieiunitas et odiosa exilitas Iliadis nascantur. Itaque cum loquamur de Silii abundantia, iure dicemus de inopia scriptoris Iliadis.

De collocatione vocabulorum.

In ordine vocabulorum Silius praecepta artis rhetoricae utique secutus est; tamen hoc tantum commemoro exemplisque illustrabo: eum saepius seriem illorum ita confudisse, ut iungenda longe seiunxerit, praecipue substantivum et attributum. Cfr.

I. 81. Urbe fuit media sacrum genetricis Elissae
Manibus et patria Tyrius formidine cultum,
Quod taxi circum et piceae squalentibus umbris
Abdiderant coelique arcebant lumine templum.

I. 414. Tu quoque, fatidicis Garamanticus accola lucis
— — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — — — — —
Mentitumque Iovem increpitans occumbis, Iarba.

Cfr. I. 421. Fulmineus — 424. aper. III. 577. ille — 580. populus. XIII. 38. Sollicitis — 41. Danais. X. 73. tendentem — 76. Acheram — et al.

Iam paulo simplicior est haec collocatio: e. g.

II. 93. Cres erat aerisonis Curetum advectus ab antris
Dictaeos agitare puer levioribus annis
Pennata saltus assuetus arundine Mopsus.

Cfr. I. 152. Tagum — 154. regem. III. 189. rapiens — 191. serpens. V. 309. delatus — 311. leo. XII. 441. inclusas — 443. carinas. XIII. 86. intactas — 88. opes. etc.

Praeterea videas hos locos, quibus alterum verbum non positum est initio, alterum non in fine versus: II. 51. Rhoeteius — 53. ferox. III. 332. perfusus — 334. Astyr. IV. 140. elanguescens — 142. cornus. IV. 708. hunc — 710. ductorem. VI. 426. horrida — 428. caesaries. VI. 476. ille — 478. Regulus. VI. 713. ista — 715. monimenta. X. 479. illa — 481. Roma. XII. 426. Casilina — 428. limina. XIV. 371. saevae — 373. tubae. XVI. 519. fusam — 521. comam. XVI. 534. impia — 536. proelia. VI. 595. illa — 597. cura. VI. 631. Arcadius — 633. ductor. VII. 66. calidi — 68. equi. VII. 192. nota — 194. munera. VII. 322. ingens — 324. Maraxes. VII. 362. multa — 364. astra. VII. 364. multa — 366. incendia. X. 182. ille — 184. accola. X. 194. raptum — 196. signum. — etc.

Frequentiora sane sunt exempla eiusmodi, ut attributum intra duorum versuum intervallum a substantivo semotum sit: e. g.

I. 289. Insula quos genuit Graio circumflua ponto
Atque auxit quondam Laertia regna Zacynthos.

I. 606. pater — 607. Thybris. II. 41. ipse — 42. ductor. II. 206. haec — 207. proelia. II. 584. excitus — 585. anguis. II. 338. mortalem — 339. hostem. III. 192. quantus — 193. anguis. (208.—209.) III. 616. indignantem — 617. Istrum. IV. 134. comitem — 135. hastam. IV. 622. adversum — 623. amnem. V. 208. primae — 209. cohortes. V. 220. ipsa — 221. Bellona. VI. 200. infelix — 201. Aquinus. VI. 621. reducem — 622. pubem. VII. 672. longa — 673. hasta. VIII. 99. magicas — 100. artes. IX. 108. fraternus — 109. umbo. X. 48. vanos — 49. furores. XI. 7. saevior — 8. Samnis. XI. 432. dulcem. — 433. cantum. XV. 18. has. — 19. curas. XVI. 598. Ancipiti. — 599. formidine. — Vid. etiam I. 494. sq. I. 85. sq. I. 74 sq. I. 78. sq. I. 123. sq. I. 161. sq. I. 325. sq. II. 117. sq. II. 193. sq. II. 213. sq. II. 217. sq. II. 461. sq. II. 599. sq. II. 694. sq. II. 696. sq. III. 185. sq. III. 254. sq. IV. 167. sq. IV. 160. sq. IV. 720. sq. VI. 72. sq. VI. 607. sq. VII. 454. sq. IX. 78. sq. XV. 683. sq. etc. etc.

In Iliade nulla habes exempla nisi haec:

261. ubi cognita nobis
Ludorum quondam vario in certamine mens est?
931. Unus tota salus in quo Troiana manebat
Hector adest...

Ad aperiendam elocutionem scriptorum de quibus ambigitur, etsi non parvi momenti est perspicere, qua ratione uterque artificiis oratoriis usus sit, tamen, propter ubertatem et copiam materiae,

de tropis et figuris agere supersedeo. At allitterationem saltem quam dicunt, qua Silius plus solito versiculos exornavit, si non pertractare, certe indicare animo intendi; cuius usus quantopere in Punicis obtineat, ut intellegatur, opus est tales tabellas componi, quales de usu allitterationis Vergiliano Ioannes Kvicala conscripsit[1]); tum certe demonstrabitur Silium hunc ornatum orationis etiam magis adamasse quam Vergilium. Ego autem, quominus ipse hoc faciam, cum angustioribus finibus commentatiunculae meae prohibear, his paucis exemplis me continui: I. 220. **complebant .... castra cohortes.** I. 434. **curru telumque coruscans Titanum quo pulsa cohors.** I. 445. **feminea fabricata manu protiove parata, ... datum dimensis.** I. 475. **Tormentis excussa tenent.** Ut **tegmina.** I. 479. **Murrus belli mora!** **Foedera, faxo.** I. 545. **promisere dei? propius si pressa.** I. 556. **tandem .... terras .... tenebris.** I. 621. **portarum pendent: hic Punica.** I. 645. **molitur .... maioraque moenia.** II. 3. **primoresque patrum .... proles.** II. 146. **praecipitem .... pondere prono.** II. 251. **conclamant .... celsoque culmine muri .... mixta ....: nunc nomine noto .... feras fessos nunc pandere portas Posse .... praecordia.** II. 316. **ferro flammave fatiscunt.** II. 390. **patrias repetit pugnandi.** II. 575. Sed **vos .... vetuit** quos conscia **virtus.** III. 416. **Poenus .... pace petebat.** III. 473. **pediti fidus, patulis** non **puppibus** aequus. III. 505. **virum fovet** hortando **revocatque vigorem.** III. 582. **magnae molis** opus **multoque ...., Tot populos** inter **soli sibi poscere.** III. 589. **multum mutata mente.** III. 591. **Poenum ..... patriae, ... repulsum.** III. 599. **ripis Rhenum, reget.** III. 609. **te terruerint Tarpeiae.** III. 625. **deum divosque dature.** IV. 78. **nova nunc nobis.** IV. 92. **par .... Poeno .... in pectore.** IV. 114. **tenues tandem .... terga.** IV. 167. **prima, puer, tumidi, Tyrrhene, Pelore Purpureo.** IV. 182. **tepido te .... telo.** IV. 265. **vulgum Martemque minorem Mox ....: vocant superi** ad **maiora.** Videsne .... IV. 296. **pugnatura .... procellis Pila .... impingitur ponto.** IV. 309. **fit sonitus; fugere ferae, fugere volucres.** V. 111. **vix vulnera vitam.** V. 180. **Inviolata .... victorque vaporis ....** V. 215. **pilorum** in **Poenos .... repulsi.** V. 219. **pressoque impellunt pectore pectus.** V. 235. **vicina .... Vulnera .... velocior.** V. 278. **commendat .... mananti .... membra.** V. 635. **ducitis .... Tarpeia Tonantis Tecta faces ferrumque datis.** VI. 322. **portat .... piceaque .... Pendentem terris pariter pontoque .... pastor** Et **pelago.** VII. 227. **taedetque** in **tempore tali.** VII. 259. **languentes .... lucent** in litore **fluctus.** VII. 627. **fixo .... forte .... ferrum.** VII. 648. **manus, medio .... mento.** VIII. 109. **magna minatus meque.** VIII. 205. **diva deae parere parat.** VIII. 485. **totidem tacito terrore.** VIII. 570. **horrebat** telis et **tergo hirsuto.** VIII. 578. **Picentia Paesto Misit .... mox Poeno Marte.** IX. 100. **propius pone** arma, **virumque .... videt vestigia.** IX. 111. non **sim**

[1]) Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis. Prag 1881. pag. 293 sqq.

equidem Sulmone satus tua Satrice. IX. 152. verba vicesve . . . vocemve . . . sed sanguinis atri Sistere . . . laceroque ligare velamine vulnus. IX. 193. mihi magna satis, sat vero superque Bellandi merces. IX. 199. domos, quod dextra dabit: nil ductor. IX. 325. pes pede, virque viro teritur; tellusque videri. X. 119. tua tela tibi. XI. 108. debita ductor . . . dabit. XI. 138. victor vada: victor. XI. 241. magnanime o miles, meritas. XI. 293. digna deum, tum Dardanus. XI. 409. nostro . . . sub numine noctes. XI. 439, multis mollissima mensae. XI. 485. puppis portus pelagoque. XI. 531. Carthago, caput, . . . colare. XI. 549. tandem tot titulis totque exorata tropaeis. XII. 18. molli luxu madefacta meroque. XII. 168. cruentus Hostis adest, capite arma, viri, clamatque capitque. XII. 210. vincebat . . . vocisque vigore. XII. 261. voti vanus . . . vis. XII. 265. minas mutata morte. XII. 288. verti victricia signa, Vobis terga dedi. vidi, cum ad bella vocarem. XIII. 72. Simoentaque nobis Sanguine sudatum. XIII. 101. portas Poenum post iura petita. XIII. 165. In vulnus via. nunc vibrat . . . Mentiturque minas: mediam. XIII. 267. muros Tarpeiaque moenia, misi. XIII. 367. procerum . . . piacula prima. XIII. 415. duc . . . duro . . . Diti. XIII. 581. Maciesque malis comes addita morbis. XIII. 713. Traxisti . . . tecta . . . tenebras. Tum tibi . . . tumulum. XIII. 869. Lamentor rebus Latiis. sed luce . . . XIV. 85. verum ubi fata virum fragili solvere senecta. XIV. 135. clamat, cunctantes, urgens umbone catervas. XIV. 516. Parte alia Perseus (puppem . . .) XIV. 629. si fata ferant, iuvat inter proelia ferro — etc. etc. etc.

Sed cum allitteratio in Punicis tam frequens sit, ut scriptorem dedita opera eam usurpavisse appareat, in Iliade, quamquam non prorsus deest, voluntate et iudicio eam expetitam esse manifestum non est. Maxime cernitur in nominibus propriis: 240. Amphiusque et Adrastus et Asius. 743. Dardanidum Danaumque duces. 787. Archilochumque Antenoriden . . . Aiax. 789. Penelei dextra . . . Priami pubes. 987. pectora pro Priamo, pro nostro corpore Pyrrhus — aut in formulis, quas supra vocavi decantatas, ut: 295. Constitit et galeam galea terit et pede plantam. 956. Conlatusque haeret pede pes et dextera dextrae. Praeterea vid. 42. Fige patrem: cur nata luit peccata parentis. 66. impositam puppi patrias. 420. quodque potest, levibus plangit sua pectora pennis.

Omitta eos locos, quibus duo tantum vocabula ab eadem littera initium capiunt; nam eorum numerus etiam in Punicis paene immensus atque infinitus est.

Hoc de forma oratoria, quae in Punicis expressa est caput optime excipiet confutatio opinionis illius, quam supra [1]) tetigi. Dixerit enim quispiam discrepantias quas statui elocutionis testi-

[1]) pag. 48.

monio esse non posse, quoniam haud raro iidem scriptores procedente tempore a se ipsi dissentiant.

Sed subtilius rem perscrutemur. Quid igitur? Silius adulescens, alumnus disciplinae rhetoricae[1]) et admirator eloquentiae Ciceronianae, num delectatus est oratione arida, exili, exsangui, cui „unus et alter assuitur pannus" ex aliorum carminibus decerptus? Num aetate demum composita et moderata, ne dicam senectute, se contulit ad artem oratoriam? Immo potius contrarium evenire solet: iuvenes amplectuntur sermonem pinguem et quandam in dicendo speciem atque pompam; at ubi impetus iuvenilis pedetemptim languet et hebescit, delabuntur ad ieiuniorem dictionem. Quod cum ita sit, illa est res difficilis ad credendum. — Utinam carmen illud Lucani[2]) de bello Troiano iniuriam temporum effugisset, ut cum Iliade componi posset! Certe nihil aliud fuit nisi declamatio. Sed videas Statium, qui Thebaidem omnibus luminibus atque ornamentis verborum exornavit, in Achilleide autem ad genus dicendi aliquanto sedatius descendit. Licet autem Silius numquam — id quod laudi ei vertendum est — tantus artifex dicendi fuerit, sine dubio nullo tempore omnibus orationis munditiis tam vacuus fuit quam Iliadis scriptor.

Priusquam disputationem ad exitum adducamus, liceat mihi nonnulla argumenta refellere, quae Doeringius indagavit. Ac primum dicam de comparationibus, quorum de usu Siliano primum idque satis incuriose egit Guilel. Barchfeld,[3]) cuius in dissertatione quae

---

[1]) Vere Doeringius (progr. pag. 38) affirmat nonnulla vocabula Iliadis redolere sermonem vulgarem. Ibi autem pag. 6. postquam attulit verba Statii (Silv. II. 7. 54. sqq.), qui Lucanum quoque adulescentulum bellum Troianum versibus persecutum esse tradit, pergit sic: „Wäre es nicht möglich, dafs, da beide Dichter dem Rhetor Cornutus nahe standen und zwar Lucan erwiesenermassen als sein Schüler, auf dessen Anregung beide Werke, die wir als Stilübungen auffassen dürfen, entstanden sind?" — Quam, rogo, speciem probabilitatis habet eum, qui rhetorum praeceptis eruditus atque excultus est, magistro custode verba vulgaria et cotidiana orationi intexuisse? —

[2]) Vide annot. 1.

[3]) De comparationum usu apud Silium Italicum. Diss. inaug. Gottingae 1880.

desiderentur, iam Schinkelius [1]) rettulit. Verum haec missa facio; nam Barchfeldii neglegentia ad id, quod mihi propositum est, non pertinet. Quid? quod Doeringius temere verbis eius fidem habuit, quibus confisus novum „argumentum" in medium protulit. Nam cum Barchfeldius in Punicis 116 comparationes inesse voluisset — in Iliade decem insunt —, Doeringius [2]) huic quoque rei aliquantum ponderis assignavit, scilicet in utroque carmine eandem egestatem scriptoris significans. Atqui ego legi apud Silium 194 comparationes. Atque Doeringius peritior huius rei esse debuit, quia, ut ipse quidem affirmat [3]), haud paulum temporis in legendis Punicis versatus est, tum autem, quia veritas iam pridem a Schinkelio detecta erat. [4]) (Schinkelius enim 174 comparationes invenerat.) Neque dissertatio eius Doeringio ignota erat; nam enuntiatum quoddam Schinkelii, quod ad consilium suum quadrabat, a contextu orationis divellit: [5]) Itaque libellum illius parum diligenter videtur perlegisse. — Hae autem sunt 194 comparationes: Lib. I. 224. 313. 324—26. 339. 356. 358—59. 362. 370—72. 421—25. 427. 433—36. 461—64. 468—72. 497. 502. 687—89. Lib. II. 73—75. 215—16. 217—21. 289—91. 378. 501. 592. 671—74. 683—91. Lib. III. 53. 192—95. 208—10. 227—30. 294—97. 307. 410—14. 483—85. 501—2. 535—39. Lib. IV. 6. 102. 244—48. 275—76. 295—97. 302—4. 321—23. 331—36. 372—73. 386. 520—24. 560—561. 563—65. 600. 713—17. 776. 778. Lib. V. 33. 40. 47—53. 144—45. 191. 208—9. 212. 280. 281. 283—84. 309—15. 384—88. 395—97. 443. 503—5. 571—72. 605—6. 666. Lib. VI. 181—84. (Tres comp.; fortasse Schinkelius talibus locis unam comparationem statuit.) 321—25. 329—31. 369. 497. 553. 589—90. Lib. VII. 120—22. 126—30. 139—41. 143—45. 254—59. 362—63. 364—66. 500—3. 569—74. 596—97. 639—40. 674—77. 688—90. 717—22. 727—29. Lib. VIII. 129. 279—83. 426—27. 428—30. 467. 619—20. Lib. IX. 41—43. 240. 282—86. 305—9 (duae comp.). 319—20. 330. 358—61. 444. 509—10. 605—8. 623—24. Lib. X. 2—3. 10—12. 18—24. 77—82. 108—111. 124—27. 147. 164—69. 241—46. 293—97. 321—25. 380—81. 393. 405. 427—28. 608—612. Lib. XI. 11—12.

---

[1]) l. l. pag. 38. [2]) progr. pag. 13. [3]) progr. pag. 50.
[4]) l. l. pag. 38. annotat. 1. [5]) progr. pag. 38. annotat. 4.

229. 243—46. 430—31. Lib. XII. 6—10. 55—59. 186—89. 229—31. 234—35. 247—50. 398—400. 458—62. 626. Lib. XIII. 24—29. 200—203. 238. 240—43. 257. 557. Lib. XIV. 61—63. 121—24. 143—47. 162. 189—91. 314. 404. 479—80. 623—24. Lib. XV. 154—57. 210—13. 230. 368. 404. 485—87. 579—80. 677—78. 712—14. (quinque comp.). 738. 769—73. 784—88. Lib. XVI. 4—10. 35—38. (quinque comp.). 96—98. 99—100. 384—85. 394. 500—501. Lib. XVII. 73. 121—24. 207—11. 416—17. 447—50. 474—78. 487—90. 504—8. 600—2. 647—48. 649—50.

Ceterum ex hoc numero quamvis magno nihil documenti ad meam sententiam probandam repetiverim — nam talis quaestio videtur nimis minuta esse —; it tantum ostendere volui ad contrarium confirmandum Doeringium falso aliquid e comparationibus collegisse.

Sed hoc loco paulum commoremur, ut plano exemplo exstet atque emineat, quam futili ratione ille rem gerat. Qui et apud Silium et apud Iliadis scriptorem studium et amorem rei navalis et piscatoriae deprehendit [1]: Silius, praeterquam quod octo praebet comparationes ad vitam nautarum et piscatorum pertinentes, lib. XIV. 353—579. pugnam navalem ante Syracusas factam finxit, profecto non studio maris, sed sine dubio id tantum egit, ut Romanos mari quoque victores esse demonstraret. Et qui in 116, immo 194 comparationibus octies nautas et piscatores affert, num is propterea mare adamasse putandus est? Saepius Silius personas suas cum leonibus aliisque bestiis comparavit: num ob eam causam has bestias adamavit?

Iam vero, quae attulit Doeringius, ut probaret Iliadis scriptorem eodem amore captum esse, vix tanti est refutare, quandoquidem ipse verba sua refutavit. Atque ipse se perperam iudicare facile vidisset, nisi miro studio occaecatus esset omnia quamvis aliena arcessendi, dummodo opinioni suae speciem veritatis imponeret. Conclusit autem illum amorem e versu 57: „portus intrare salutis“, et ultimis versibus Iliadis, quibus scriptor operam suam cum navigatione confert. Tales autem comparationes plane usitatas fuisse non solum apud

[1]) progr. pag. 8.

poetas, sed etiam in oratione pedestri nemo nescit neque Doeringius ignorat.[1]) — Quod denique Iliadis scriptor catalogum navium diligenter accurateque vertit, duae, opinor, erant causae: primum quod omnino quinque primos libros Homeri non ita contraxit, ut reliquos, tum ut artem suam metricam iactaret, cum tota illa pars propter multas difficultates, quas nomina propria habent, non reddi possit nisi magno labore.

Tamen Doeringius illum maris amorem apud scriptorem Iliadis non primus invenisse sibi visus est: immo iam Wernsdorfius, quem tacitus transscripsit, haec fere omnia protulit. Quapropter — mirum! — quo Wernsdorfius usus est argumento, ut doceret Rufum Festum Avienum esse scriptorem Iliadis, idem in eadem re in Silium cadere Doeringius nobis persuadere studet, nempe aequo et pari eventu atque Wernsdorfius.

De substantivis in „-tor“ et de adiectivis in „-fer“ et „-ger“ et „-osus“ desinentibus.

Substantiva in „-tor“ exeuntia nusquam crebriora esse quam in Punicis notum est. Legi enim apud Silium haec duodequinquaginta, quae quingenties duodecies adhibita sunt: altor auctor bellator conditor cultor cunctator dator defensor dictator domitor dominator ductor eversor explorator factor genitor iactator iaculator ianitor largitor latrator laudator lictor messor moderator monitor narrator pacator pastor piscator populator portitor possessor potator proditor pugnator raptor rector regnator sator spectator speculator suasor sulcator ultor venator viator victor.

Maxime Silius vocabulo ductoris delectatus est, quod centum nonaginta octo locis inveni, tum victoris, quod nonagies sexies legi. — Substantiva in „-trix“ desinentia haec octo repperi quadragies: altrix bellatrix cicatrix contemptrix creatrix genetrix ultrix victrix.

Cfr. in Iliade: actor 489. — auctor 41. 165. — bellator 629. commentor 527. 579. — ductor 519. 777. — genitor 107. 537. 980. — levator 123. — messor 886. — rector 899. — regnator 345.

[1]) cfr. dissert. ad l. l.

tutator 911. — victor 276. 307. 340. 852. 982. 999. 1004. 1045. — vinitor 887. = vicies quinquies. — bellatrix 172. — genetrix 88. 464. 552. — ultrix 819. — victrix 153.

Adiectiva in „-osus" cadentia apud Silium haec triginta quinque mihi occurrerunt centies terdecies: animosus annosus aquosus arenosus clamosus clivosus dumosus frondosus fumosus generosus lacrimosus latebrosus lapidosus limosus monstrosus nebulosus nemorosus nimbosus nivosus nodosus numerosus paludosus piscosus probrosus procellosus saxosus scopulosus sinuosus spatiosus stagnosus tenebrosus umbrosus undosus vadosus villosus.

Ex Iliade haec annotavi: animosus 442. 516. 823. — annosus 29. 381. 877. — damnosus 25. — generosus 238. [622. 625.] — sinuosus 436. — speciosus 582. — umbrosus 654. = undecies.

Adiectiva, quae in terminationes „-fer" et „-ger" exitum habent, in Punicis haec quadraginta sex insunt, quae centum quadraginta sex locis inveniuntur: aestrifer aliger armifer armiger aurifer austrifer baccifer belliger claviger coelifer corniger criniger falcifer fatifer flammifer frugifer fumifer gemmifer ignifer imbrifer laniger laurifer letifer mortifer nubifer odorifer palmifer penniger pestifer pharetriger pinifer pomifer saetiger sagittifer sceptrifer sceptriger securiger signifer somnifer soporifer spicifer stelliger turriger umbrifer uvifer vitifer.

Cfr. in epitome: armiger 400. 545. — fumifer 599. — ignifer 617. — sceptriger 8. — saetiger 595. = sexies.

Haec omnia ea mente enumeravi, ut unusquisque suo uti possit iudicio de fide, quae tribuenda sit Doeringio de substantivis illis et adiectivis dicenti [1]) haec: „... wir haben festgestellt, dass der Auszug und die Punica in der Bevorzugung gewisser Wortableitungen übereinstimmen ... " Nam ut omittam contrarium verum esse — substantiva in „-tor" et adiectiva in „-fer" et „-ger" exeuntia Silius duplo saepius usurpavit —, tota haec disputatio nimis arcessita et levis est.

Idem mihi fatendum est de formis casuum graecanicis, quarum usum Silianum exponere primo mihi in animo erat; sed inutile est,

---

[1]) progr. pag. 39.

Inspicias enim eas partes libri a Neuio compositi qui inscribitur: Formenlehre der lat. Sprache. Ed. II. Berol. 1877. Vol. I., ubi de formis graecanicis agitur; videbis, quantopere hic usus apud plurimos aetatis illius poetas valuerit. Quod autem Iliadis scriptor, ceteroquin homo sincerae latinitatis, a terminationibus Graecis non abhorruit, certe ob rationes metricas plerumque factum est, ut commoditatis causa ad eas confugeret; Silium tamen, quem saepius poetam graecissantem agnovimus, par est hac quoque in re sibi constitisse. Quare non licet hinc argumentum petere, ut fecit Doeringius.[1])

[1]) progr. pag. 36. sq.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIPTA EST

DE TIB. SILII ITALICI PUNICIS ET ITALICI ILIADE LATINA QUAESTIONES GRAMMATICAE ET METRICAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE IV MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLXXXVIII

HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

PAULUS VERRES

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOSEPHUS FRANKE, SEM. PHIL. SEN.
GUILELMUS FUEHRER, CAND. PHIL.
IOSEPHUS EBLINGHAUS, SEM. PHIL. SOD. ORD.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXVIII.

THESES.

I.

Senec. Phaedr. vv. 1022—24 Leo iniuria eiecit.

II.

Catull. LXIII. 2 sq. male Baehrensius (Comment. pag. 336.) „nemus“ mutavit in „litus“ et „adiit“ in „vidit“.

III.

Ibid. LXVIII. 139. Pohlii coniectura: „condidit iram“ maxime probanda est.

IV.

Errant, qui Aratea imperatori T. Flavio Domitiano (Germanico) tribuunt, non Caesari Germanico.

V.

Ex Latinis Arati interpretibus (Ciceronem dico et Germanicum et Rufum Festum Avienum) neque Germanicum quidquam a Cicerone neque Avienum quidquam aut a Cicerone aut a Germanico mutuatum esse contendo.

VI.

a. Eurip. Iphig. Aul. v. 464. falso Hennig (De Iphig. Aul. forma ac condicione. Diss. inaug. Berolini 1870. pag. 67.) subditicium esse voluit.

b. Ibid. v. 1372. Hartungii et Monkii coniectura: „*ἀλλὰ καί σε τοῦθ᾽ ὁρᾶν χρή, μὴ διαβληθῇ* (pro codicum lectione *διαβληθῇς*) *στρατῷ*“ recipienda est.

c. Ibid. v. 1375. legendum censeo: „*κατθανεῖν μέ τοι δέδοκται· τοῦτο δ᾽ αὐτὸ βούλομαι εὐκλεῶς πρᾶξαι* ...“ (pro librorum scriptura: *κατθανεῖν μέν μοι δέδοκται* ...).

d. Ibid. v. 1382. cum Dindorfio (Poet. scaen. Ed. V.) eximendum esse puto, ita ut v. 1380. *ἤν τι δρῶσι* mutem in „*ἢν ποθῶσι.*“

VII.

Xenoph. de republ. Laced. V. 8. post „*ἀρκούντως*“ lacuna statuatur necesse est, quae commate post „*ἀρκούντως*“ posito fortasse explenda est sic: „*ἀλλ᾽ ἐννοῶν, ὅτι καὶ ὅταν αὐτός τις τῇ ἑαυτοῦ γνώμῃ φιλοπονῇ ἀρκούντως, ⟨οὐ καλῶς⟩ τὸ σῶμα ἔχων ἀναφαίνεται* etc.

VITA.

Natus sum Paulus Verres Oberhusae, in oppidulo provinciae Rhenanae, Idib. Mart. anni huius saeculi LXVI., patre Florentino, matre Margaretha e gente Willing, quos integris adhuc viribus uti valde gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus per octo annos et sex menses frequentavi gymnasia primum Coloniense Frederico-Guilelmianum, tum Duesseldorpiense, denique Monasteriense, quod vere a. h. s. LXXXIV. testimonio quod vocant maturitatis instructus reliqui. Eiusdem anni mense Aprili in numerum civium almae litterarum academiae Monasteriensis receptus per septies senos menses studiis philologicis operam dedi. Docuerunt me VV. DD. Storck, Langen, Stahl, Koerting, Hagemann, Jacobi, Milchhoefer, Wuellner, Jostes. Langeni et Stahlii egregia erga me benevolentia factum est ut in seminarium regium philologicum reciperer, cuius sodalis ordinarius fui per quater senos menses, per duo semestria senior.

Omnibus viris bene de me meritis gratias ago ac semper habebo maximas, singulares vero Storckio, Langeno, Stahlio, qui benignissimi studiorum meorum fautores exstiterunt.



